



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1720




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1720



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1720



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1720



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1720



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1720

ΣΥΝ ΘΕΩ.

EXERCITATIO

De

HÆRESI NOVATIANA,

EIQUE OPPOSITIS CONCILIIS CARTHAGINIENSI ET ROMANO,

HISTORICO-THEOLOGICA,

Quam

SUB PRÆSIDIO

Perquam Reverendi, Ampliſſimi & Excellentiſſimi Viri,

DN. IOHANNIS SCHMIDT,

S.S. THEOL. DOCT. ET PROFESSOR. ORDINARII, CONVENTUSQUE ECCLESIASTICI PRÆSIDIS,

Præceptoris, Hoſpitis, & Patroni ſui præ multis ſingulariter colendi

PUBLICO ET SOLENNI *eruditorum examini ſubmittit*

M. STEPHANUS KENCKELIUS,

Flensburgo-Holſatus,

d. Ianuarii horis locoque conſuetis.

ARGENTORATI,

Typis FRIDERICI SPOOR,

---

cIↄ Iↄc LI.

Auguſtinus ſerm. LVIII de tempore:

Fortè cogitat aliquis tam gravia ſe admiſiſſe peccata, ut jam Dei miſericordiam promereri non posſit. Abſit hoc à ſenſibus omnium peccatorum. O homo quicunque illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cœleſtis medici non attendis? Cum enim Deus velit miſereri, quia bonus eſt, & poſsit, quia omnipotens eſt; ipſe contra ſe divinæ pietatis januam claudit, qui Deum ſibi miſereri aut non velle aut non poſſe credit: eumque aut bonum aut omnipotentem eſſe diffidit. Nemo ergo nec pòſt centũ peccata, nec pòſt mille crimina de miſericordiâ divinâ deſperet. Sic tamen non deſperet, ut ſine ullâ morâ Deum ſibi repropitiari feſtinet, ne fortè, ſi conſuetudinem peccandi fecerit, etiamſi velit de diaboli laqueis liberari, non poſsit.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

Magnifico, Nobiliſſimo,
Ampliſſimo & Conſultiſſimo
DOMINO,
THEODORO REINKINGK,
ICto, Comit. Palatino Cæſareo, Sereniſſimi & Potentiſſimi DANIÆ REGIS in Holſatiâ CANCELLARIO Eminentiſſimo, &c.

Perquam Reverendis, Ampliſſimis & Excellentiſſimis,

DN. STEPHANO CLOTZIO,
S.S. Theolog. Doctori,
ET
DN. IOHANNI REINBOTH,
S.S. Theolog. Doctori;

Illi Regis, huicque Ducis per Provincias Sleſvici & Holſatiæ Eccleſiarum SVPERINTENDENTIBVS GENERAL. undequaque celebratiſſimis & vigilantiſſimis;

Magnifico, Nobili,
Ampliſſimo & Conſultiſſimo
DOMINO,
CHRISTIANO CASSIO,
Reverendiſſimi & Celſiſſimi Epiſc. LUBEC. & HOLSATIÆ DUCIS CONSILIARIO INTIMO & CANCELLARIÆ DIRECTORI Opt. merito;

Ampliſſimo & Prudentiſſimo,

DN. OTTONI BEIERO,
Reip. Flensburgenſis CONSVLI graviſſimo;

Plurimùm Reverendo, Clariſſimo & Doctiſſimo,

DN. M. IOHANNI BREMERO,
PRÆDICTÆ REGIÆ MAIEST. à CONCIONIBVS AVLICIS, Affini honoratiſſimo;

DOMINIS ET PATRONIS MEIS
S. D.

M. Stephanus Renckel.

QUinquennium eſt, & quod excurrit, PATRONI INSIGNES, quum, iactis qualitercunque Philoſophiæ & artium fundamentis, aliquam ſuperiorum, ut vocant, Facultatum propius aggreſſurus eſſem. Atque tunc protinus in ipſo rerum confinió non levis in animô tumultus oriebatur, dum hinc ad ſummam & ſanctiſſimam diſciplinarum Theo-

Theologiã, illinc ad nobile Juriſprudentiæ ſtudium pari propemodum voluptate raperetur. Tandem verò poſt longum certamen ſanctæ ſe Theologiæ dedebat, ſed an conſilio ſatis maturo, næ ego ex illo tempore ſubinde dubitavi. Equidem nec optimi Parentes ſumtus egregios, nec ego indefeſſos labores, quibus ingens ille Theologicorum ſtudiorum apparatus conſtat, unquam abhorrui. nôram enim, quod

nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Nec illud me nimium maceravit, quod in progreſſu deprehenderem, neque ingenium tam amplis & arduis rebus vel mente capiendis vel memoriâ retinendis, neque corporis vires tot laboribus & atris lucubrationum fuliginibus hauriendis ſuffecturas, ut ad eorum aliquando famam aſpirare liceret, quos literatus orbis miratur. Nam hîc magno mihi ſolatio erat, quòd, qui præſtat quod poteſt, omnem officii ſummam impleverit, pulcrumque ſit in ſecundis tertiisve conſiſtere; quum in copioſâ magnæ domus, qualis imprimis eſt illa Dei viventis, ſupellectile non ſola aurea & argentea vaſa, ſed etiam ærea, etiam lutea ſuos habeant uſus. Poſtremò ne contemtus quidem, aut pauperies, quibus plerumque boni illi cœleſtis verbi præcones premuntur, me magnopere moverunt; quandoquidem omnes malimus, certè malle debeamus, ad exemplum Moſis *communibus malis affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati commodis frui, maiores arbitrati divitias probrum Chriſti quàm Aegyptiorum theſauros*, καὶ ἀποβλέποντες εἰς τὴν μισθαποδοσίαν. Sed illud demum me quã maximè turbavit, quòd paulatim animadverterem, ſi quis fortè nihil, quod ad ſacras literas rectè intelligẽdas faciat, temerè omiſerit, ætatemque & patrimonium & quicquid ipſi virium atque opum eſt, impenderit, ne negligenter ſeſe geſſiſſe, aut in medio curſu defeciſſe videretur; obiici deinde, quæ fructum omnem exantlatæ tantæ operæ interverſum eant. Rixas dico, inimicitias

micitias & contentiones, quibus animi Chriſtianorum hodiè inter ſe colliduntur, contrario ſanè ſtudio, quam decebat eos, quibus Servator humani generis nihil præter pacem ſuam & mutuæ caritatis commendationem legavit. Etenim hoc uno fidei commiſſo utramque teſtamenti paginam implevit. Rectè ante ſeculum & triginta annis amplius Deſ. Eraſmus in pulcerrimâ ad Cardin. Campegium epiſtolâ præfix. paraphraſi in epiſt. ad Epheſ. cùm alia multa noſtris temporibus accommodatiſſima tum iſthæc ſcripſit: *Nihil eſt in rebus humanis tam florens quod non vertat in perniciem diſcordia. At eam nusquam magis vitatam oportuit, quàm in ſtudiis, præſertim ſacris, quorum authoritate præcipuè tumultus humanarum cupiditatum ſedari par erat. Quid enim aliud, quàm pacem docet, qui Chriſtum docet? Quod ſi contigerit, ſalem eſſe inſulſum, quid ſupererit, quo condiantur inſulſa? Si lucem Evangelicæ Philoſophiæ cupiditates obſcurant humanæ, quid erit, quod diſcutiat animi noſtri caliginem? Quis autem neſcit, bonam religionis noſtræ partem pendere à ſtudiorum ratione? At nunc hanc quoque vitæ noſtræ paradiſum ſic ſuo veneno vitiavit veterator ille ſerpens, ut mihi non paulò præſtabilius videatur, quemvis hortulum colere, quàm literas, videlicet cepis & caulibus plus allaturis fructus cultori ſuo, quàm ad lucernam vigilatis noctibus.* Quid videtur, annon, ſi quis hæc in ipſo ſtatim limine pervidere poſſet, prope carceres ſubſiſtere mallet, quam metam verſus ferri? Porrò ſi vera ſunt, (at quis negare auſit?) quibus Cyprianus epiſtolam LXIX ad Florent. Pupianum de variis ab eo obiectis criminibus reſcriptam claudit: *Habes tu literas meas & ego tuas: in die iudicii ante tribunal Chriſti utræque recitabuntur;* quis non animo titubante & diffidente ad hodiernas controverſias Theolog. acceſſerit? quarum quidem multæ licet, utriusque ſæpè partis conſenſu, nec articulos fidei propius attingere, nec ad obiectiones hæreticorum & infidelium ſolvendas neceſſariò facere, nec ad praxin aliquid præclari conferre videantur, at-

que,

que, ut verba Auguſtini Enchir. ad Laurent. cap. LIX mea faciam, nihil opus ſit, *ut hæc atque huiusmodi affirmentur vel negentur vel definiantur cum diſcrimine, quando ſine crimine neſciuntur*; tamen cùm utrinque tam acerbis verbis, tam amaris odiis, tam cruentis conflictationibus agitentur, & libelli, quibus, ut ait Eraſmus l. d. *alteros alteri lacerant*, multum fortean eruditionis ſed parum charitatis habeant, *parientes invidiam, litem, maledicentiam, ſuſpiciones malas* 1 Tim. VI, 4., ad neutram ſanè partem absque manifeſto periculo disceditur, ne, ſi fortè per imprudentiam & iudicii tenuitatem iniquæ & nocenti conſentiamus, ſimiliter in perverſum mentis fervorem linguæque procacitatem incidamus, ac propter illam ipſam parem in die iudicii ante tribunal Chriſti ſententiam ſubire cogamur; & tamen has ipſas controverſias nobis, præſertim in Academiis diſcendi gratiâ degentibus planè ignorare haut licet, ſi non ob fidem, per quam ſervamur, tamen peritiam & eruditionem, vel pium ſaltem pro innocente parte votum, ad quod omnes etiam iuvenes procul omni dubio tenemur. Sicut enim in maximis tempeſtatibus naucleri ſe à vectoribus haut ægre admoneri, & quas quisque poteſt, ſuppetias ferri patiuntur; ita ubi ſancta Eccleſiæ Chriſti navicula inter ſummas anguſtias luctatur, eiusque *malus celeri ſaucius Africo, antennæque gemunt*, uniuscuiusque viri boni & recti ſibi conſcii officium eſt, cum honeſtate modeſtaque libertate conſulendi in commune; nobis verò, qui ab illis ſentiendi conſulendique præſidiis nondum inſtructi ſumus, incumbit, Deum O. M. aſſiduis precibus fatigare, ut omnium noſtrum miſereri, & adſpirante Spiritus Sancti gratiâ, ratem ſuam poſt tanta vectorum diſſidia in portum concordiæ deducere dignetur. Equidem & hîc & alibi eruditione & authoritate præſtantes viri, quibus ſupremus navarchus remigium commiſit, iam pridem optant, præcidi aut ſaltem maiori cum moderatione, præſide charitate, tractari eiusmodi quæſtiones & dubitatio-

nes,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

nes, quæ, ut ſine diſpendio ſalutis ignorari poſſunt, ſic iis ad liquidum perveſtigãdis impar eſtmens imbecilla mortalium; ſed dum illi per, neſcio quorum, pervicaciã voti ſui compotes fieri nequeunt, natant interea & remigant cæterorum animæ inter periculoſos contentionum fluctus. Hæ curæ & cogitationes tantum apud me potuêre, ut ſæpe ſatius exiſtimarẽ, à ſtudio tam ſancto quàm arduo, talibus præſertim temporibus & moribus, prorſus abſtinuiſſe, ac ut antiquiſſimus & graviſſimus Eccleſiæ doctor Irenæus lib. 2. adverſ. hæreſ. c. 45 ait, *melius eſſe, nihil omninò ſcientem quempiam, ne quidem unam cauſſam cuiuslibet eorum, quæ facta ſunt, cur factum, (ſit,) credere Deo, & perſeverare in eius dilectione, quæ hominem vivificat, nec aliud inquirere ad ſcientiam, niſi Ieſum Chriſtum Filium Dei, qui pro nobis crucifixus eſt, quàm per quæſtionum ſubtilitates & multiloquium in impietatem cadere.* Ubi Feuardent. ex Hieronymo: *Melius eſt aliquid neſcire, quàm cum periculo diſcere.* Verùm enimverò poſtquam ſedulò expendi, quod ab ipſo Spiritu veritatis per Apoſtolum dictum, propter hominum ambitionem, ſupercilium & audaciam, deinde Satanæ malitiam *Oportere* inter Chriſtianos non tantùm ſchiſmata ſed & hæreſes (quid mirum ſi etiam lites & convicia?) eſſe; illud tamen malum à Deo pro eius bonitate, ſapientiâ & providentiâ in bonum finem, quò alias id ſuâ naturâ non tendebat, dirigi, nempe ut qui probi ſint, verbo Dei acquieſcant, nec privatas opiniones amplectantur, nec pacem Eccleſiæ turbent, manifeſti fiant inter cæteros, eorumque probitas, & conſtantia hoc tanquam experimento declaretur & aliis exemplum præbeat. His, inquam, probe expenſis, animum utcunque tranquillavi, certò ſtatuens propter turbulentos & rixarum amantes à ſancto propoſito nequaquam declinandum, quin eorundem potius petulantiâ utendum eſſe, non quidem ut eos ſequamur, ſed ut catholicam & Chtiſtianam concordiam adverſus illorum inſidias aſſerentes vigilantiores & cautiores evadamus, taleſque vere ſimus, quales videri volumus.

Sed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

Sed quicquam tandem ſit, videbatur mihi haut ita pridem, ſucceſſiſſe tempus, quo Vobis, PATRONI LONGE MAXIMI, me ſiſterem, & iis, quibus par eſt, modis contenderem, ut, ſi iudicio Veſtro ad Spartam aliquam exornandam maturus viderer, aliquid etiam vacui temporis impertiri dignaremini huic cogitationi, qua fieret, uti Patriæ, quippe præcipuam ſibi ortûs noſtri partem vendicanti, laudabilem deinceps operam navare poſſem. Et iam ſtudiorum meorum ſupellectilem colligebam, quò ocyus ad Vos redirem, quum ecce non nemo, cuius voluntatem & mandatum iuxta habeo, mihi autor & hortator exiſteret, ne prius diſcederem, quam ut alibi aliis, ſic etiam iis Dominis Præceptoribus, quorum hactenus conſilio in illuſtri hac Argentoratenſium Academiâ uſus fui, induſtriam meam & ſtudium publico aliquo ſpecimine probaſſem. Secutus ſum illico, quorſum me eius vocabat authoritas, &, quâ per urgentiſſimam temporis penuriam licuit diligentiâ, præſentem de hæreſi Novatianâ eique oppoſitis conciliis diſſertationem non tam ſollicite quæſitam, quam ex occaſione arreptam elucubravi. Eam vero quur Veſtris nominibus dicem, conſecremque, non hæc eſt cauſſa, quod hîc eſſe putem, quæ Veſtram Amplitudinem æquare poſſint, ſive ſpectem dignitatis iſtius faſtigium, ſive hoc faſtigio digniſſimas animorum Veſtrorum dotes & præſidia, ſed ut fidem meam Vobis obſtrictam aliqua ſaltem ex parte liberem. Neque enim excidit, & quantum debeam eximiæ Veſtræ in me benevolentiæ, & quid ſingulis cùm coram tum per literas, Tibi etiam, Magnifice Dn. CASSI, quùm vere proxime elapſo Sereniſſimi Principis Tui, Domini mei Clementiſſimi, inclutam Legationem ſuſtineres & forte fortunâ ad celeberrimam hanc civitatem inviſeres, in publico & ab omnium Ordinum ſplendidiſſimis viris, ceu luculentis rei geſtæ teſtibus frequentatiſſimo Academiæ noſtræ auditorio ſanctiſſime ſim pollicitus. Quod ſi porro videar hac nuncupa-

riunculâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

tiunculâ altiorem quendam benevolentiæ Veſtræ gradum affectaſſe, tantum abeſt, ut huius ambitionis invidiam deprecer, ut etiam ultrò profitear nihil mihi hac re poſſe optatius evenire. Quis enim vitio vertat homini non penitus â bonis artibus alieno, ſi per bonas artes ſecretiori Veſtræ gratiæ ſe commendare pertendat, præſertim, cùm eam etiam ignotis conferre, atque aliàs cum virtutum Veſtrarum cultoribus ex altiſſimâ, in quam Vos Deus locavit, ſpeculâ non aliter agere ſoleatis, ac ſi uno eodemque conſiſteretis pavimento. Id ergo precibus, quam poſſum diligentiſſimis, â Vobis contendo, ne chartaceam hancce ſtrenam aſpernemini, ſed benevolo vultu admiſſam boni conſulatis, donec aliquando maiorem debiti partem perſolvero. Quod dum â Veſtra comitate avidus expeto & de Veſtra benevolentia ſecurus expecto, Deum Ter Opt. Max. orare non deſinam, ut Vos omnes & ſingulos Eccleſiæ ſuæ columina & reipub. noſtræ graviter concuſſæ columnas nobis diutiſſime ſervet incolumes. Sic valete! Auguſtæ Treboccorum ê muséo, ipſis Kl. Januarias anni cIↃ IↃc LI, cuius initium felix, progreſſum feliciorem, exitum vero longe feliciſſimum Vobis Veſtrisque omnibus ex intimis animi præcordiis comprecor, voveo & exopto.

)( )(Præ-

Præcellenti Dn. M. Reſpondenti, Convictori meo multis nominibus dilectiſſimo.

QUo Te, KENCKELI, primùm cum noſtra ſubires
Limina, ſuſcepi, nunc quoque durat, amor;
Nec durat tantum, ſed & hactenus augmina ſumſit
Maxima quotidie, crevit & usquè magis.
Nam crevere in Te pietas germanaquè virtus,
Crevit inabruptæ ſedulitatis amor,
Atque hinc ingenii cultus doctrinaque crevit
Hæc tua qua polles, qua ſuperas alios.
Grator ſucceſſus atque ut laudata ſecundet
Porro etiam numen cœpta, beetque precor.

Amiciſſimi affectus & teſtandi ſtudii ergo ſcribebam.

PRÆSES.

Ad
Magnificum Eminentiſſimumque
Dn. Cancellarium,
DN. THEODORUM REINKINGUM &c.
de
M. Steph. Kenckelio SS. Theol. Stud.

C*Ommendatitiis* noſter KENCKELIVS olim
Ad me pervenit, *magne Patrone*, tuis.
Interea eximiis animum auxit dotibus, auxit
Virtutum radiis, auxit honore ſimul.
Commendatitias ſic niſus reddere veras
Nobis atque TIBI ſat facit, atque ſuis.
Antiquæ ſpecimen *doctrinæ* nobile cunctis
Inſuper illius iure *Novatus* erit.

T. M. E. veneratus
Joh. Georg. Dorſcheus D.

Pietate, literis ac virtutibus Expolitiſſimo
Dn. KENCKELIO, *Amico.*

N*ovatiani* noſſe priſca dogmata,
Infauſta *Feliciſſimi* ſophiſmata
Exenterare poſſe detectis dolis,
Non eſt tuus poſtillifer, pocillifer,
Sed mentis eſt KENCKELIANÆ & arduus
Et rarus exemplo labor: ſummus Deus
Et hunc, iterque & omne cœptum ſoſpitet!
I ſoſpes, angelo reductus alite
Ad patriæ lares tuæ. Per Te meus
Salve audiat, conſtans Amicus, CLOTZIUS.

Iohan. Conrad. Dannhavver, SS. Theol. D.
Prof. & Eccleſiaſtes.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

I. N. I.

De

HAERESI NOVATIANA,

eique oppoſitis conciliis Carthagin. & Romano exercitatio Hiſtorico-Theologica.

Thesis I.

INter eas quæſtiones, quibus Eccleſia N. T. à ſuis fermè incunabulis agitata fuit, illa non eſt poſtrema, nec minimi momenti, quam Novatiani de lapſorum pœnitentiâ excitarunt, num ſcilicet illi, qui ſemel per fidem in Chriſtum iuſtificati & pacis ac gratiæ divinæ participes facti ſunt, ſi amiſsâ fide rurſus eâ excidant, denuò in gratiæ ſtatum collocari poſſint, an verò ſecus? Quæ quidem quæſtio licet non adeò uberes & prolixos ſibi explicandæ commentarios petat, dumodò à ſanctis & hoc in puncto minimè conciſis aut obſcuris Scripturæ tabulis non diſcedatur; tantas tamen heîc adverſariorum petulantia turbas dedit, ut omnia unâ pagellâ exhiberi vix queant. Atqui cùm nunc ea ipſa exercitationi noſtræ argumentum delegerimus, iſtud nos, quippe contractioribus temporis ſpatiis excluſos, præcipuè operam dare oportet, uti ſingula, quâ fieri poterit, brevitate conſtringamus. Neque tamen ἄνευ προοιμίου rem ipſam aggredi licet, cùm prius de duobus, ad propoſitam quæſtionem rectius intelligendam, neceſſariò diſpiciendum veniat.

II. Primum eſt, an etiam fideles, qui ſemel in gratiam recepti ſunt, iterum deficere, hoc eſt, fidem & Spiritum ſanctum excute-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

re & ex credentibus non credentes fieti queant. nam niſi hoc ſit, fruſtra etiam de illo quæras; quum illis, qui ne labi quidem poſſunt, nulla prorſus reſtitutione opus ſit. Negant autem hoc Calviniani plerique. Calvinus ipſe commentar. in Matth. XIII, 20. *ut nunquam*, ait, *extinguitur ſpiritus ille, ita & fidem, quam ſemel inſculpſit piorum cordibus, evaneſcere & perire impoſſibile eſt.* Et in cap. XXIV, 24. *Poſſibile non eſt, pios à ſalute excidere, cuius fidelis cuſtos eſt Filius Dei.* Sic idem alibi. Beza in Colloq. Mompelgart. pag. 463. *Qui ſemel vera fide à Deo donantur, eam nunquam amplius amittere poſſunt.* Et iterum: *David adulterium perpetrans fidem & Spiritum S. nequaquam amiſit, ſed retinuit.* Reſponſ. 2. ad Act. Colloq. eiusd. pag. 68. *Fidem ipſam veram amitti nego.* confer ibid. pag. 72. ubi *Lothum etiam inceſtuoſum fuiſſe iuſtum* dicit. pag. 74. Piſcator reſponſ. ad duplic. Vorſtii: *Fideles ne volentes quidem fidem poſſunt amittere, obſtante ſcilicet abſoluto & efficaci Dei decreto.* Perkinſius in explic. ad artic. de eccl. cathol. *Opinionem eorum quod attinet, qui electos ex gratiâ excidere & perire poſſe aiunt, plena ſtygiæ ea eſt & infernalis incredulitatis, atque à diabolo haud dubiè profecta.* Eodem modo Rennecher. in catena cap. 27. Andr. Rivetus in expoſ. Pſalm. 40. alii.

III. Dixi, pleroſque Calvinianos ita ſentire. Nam præter Muſculum, Bertium, Rich. Thomſon. quos citat Dn. D. Fevvrborn. Faſc. 2. disput. 6 §. 60. etiam qui noviſſimo Colloquio Thorunienſi interfuêre, ab illa Calvini & qui eum ſequuntur, ſententiâ alieni videntur. Videntur, inquam. Non enim me latent, quæ in iis deſiderari poſſint; de quibus conſulendum Iudicium venerandi Colleg. Theol. in illuſtri hac Acad. Argent. pag. 38. ſeqq. Verba eorum in ſcript. Parti Romano-Cath. exhibit. & Berolini edit. artic. de Gratia, conſectar. 11. ita ſonant: *Falsò accuſamur, quaſi ſtatuamus, ſemel iuſtificatos Dei gratiam, eiusve certitudinem, & ipſum Spiritum S. non poſſe amittere, quamvis in peccatis pro lubitu volutentur. Cùm contra potius doceamus, ipſos etiam Renatos, quoties in peccata contra conſcientiam recidunt, in iisque aliquandiu perſeverant, nec fidem vivam nec Dei Gratiam iuſtificantem, ne dum eius certitudinem, aut Spiritum S. pro illo tempore retinere, ſed novum iræ ac mortis æternæ reatum incurrere, ac propterea, niſi ſpeciali Dei gratiâ excitante (quod in electis fieri non dubitamus) ad reſipiſcentiam iterum renoventur, re ipſa etiam damnandos eſſe.* Hanc equidem confeſſionem minimè diſſimula-

re vo-

re voluimus, quin (ſi modò candida, & ut lingua eorum, ſic etiam mens & ſententia Lutherana ſit) cum prædicto Dn. Fevvrborn. piè vovemus, uti Deus plures clementer convertat, eosque ſuo Spiritu regat, ne in novos errores ruant, & in quibus adhuc ſunt, ex iis feliciter eluctentur.

IV. Cæterùm ad priorem ſententiam reſpond. eam ſacris ſcripturis è diametro contrariam, abſurdam & impiam eſſe. Illæ enim tam expreſsè teſtantur, fideles & iuſtificatos deficere à fide & iuſtitiâ, adeoque etiam gratiâ Dei excidere poſſe, ut nimium mirum ſit, quemquam ea de re dubitare velle Ex innumeris dictis pauca adſcribemus: Ezech. XIIX, 24. *Si averterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid vivet? Omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur, in prævaricatione, qua prævaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccavit, in ipſis morietur.* Quid clarius dici poterat? Idem Ieſus ipſe docet, Matth. XIII, 20. & Luc. IIX, 13. Diſertè etiam S. Paulus, Rom. XI, 6. Hebr. XII, eod. S. Petrus 2. epiſt. II, 18. S. Iohan. Apoc. II, 4. Deinde probant id exempla. David, quantumvis vir ſecundum cor Dei, 1. Sam. XIII, 14. in adulterium & homicidium prolapſus eſt, 2. Sam. XI, illa videlicet peccata, de quibus Paulus prædixit, eos, qui talia agunt, regni Dei non fore hæredes. Galat. V, 10. Similiter Salomon filius eius, qui initio Dominum diligebat, ambulans in præceptis David 1. Reg. III, 3. poſteà verò à mulieribus ſeductus, in ſenectute à Deo defecit, & in idololatriam incidit, ut conſtat ex 1. Reg. XI. de idololatria autem pronunciat idem Apoſtolus, quod ſit crimen capitale, & æternâ morte piandum. 1. Cor. VI, 9. Plura exempla adfert S. Paulus, ut Hymenæi & Alexandri, 1. Timoth. I, 19. Hymenæi & Phileti, 2. Tim. II, 17. Demæ 2 Tim. ultim, 10.

V. Nec minus abſurda & impia eſt illa adverſariorum opinio. *Abſurda* quidem, quòd eo pacto omnes cohortationes ad perſeverandum in fide & pietate, promiſſiones, ſi id fiat, & comminationes, ſi contra agatur, fruſtraneæ ſint. *Impia* denique eſt, quia latam feneſtram ſecuritati & impietati aperit. Etenim ſi, qui ſemel ad fidem pervenit, & per eam iuſtificatus eſt, nec deficere ab illa, nec per peccata quæcunque excidere ex gratiâ Dei poteſt, quotusquisque peccata etiam maximè enormia ſedulò cavebit? nec enim,

ne in infidelitatem relabatur & ſalutem deperdat, timet, quia impoſſibile id eſſe cenſet. Quapropter dogma illud, perinde ac ipſum Gnoſticorum delirium, de quo Irenéus lib. 1. cap. 19, ab omnium fidelium & piorum animis procul repellendum eſt. Ita ergo patet, eos, qui ſemel crediderunt & per fidem iuſtificati ſunt, rurſus excidere fide & iuſtitiâ ſuâ omninò poſſe. Pluribus hoc argumentum inter alios perſequuntur, & ab obiectionibus defendunt p.m. Doctores, D. Hunnius comment. epiſt. ad Hebr. cap 6. part. 2. loc. com. 3. D. Mentzer. in Triad. disputation. Theolog. ad Synod. Dordrecht. disput. 3. num. 31. ſeqq. Exegeſ. A.C. pag. m. 362, & 551. Tarnov. Exercit. Bibl. lib. 4. Hornei. disput. de pœnit. lapſ. ſect. 1. Hoc primum.

VI. Secundò, cùm de lapſorum reſtitutione acturi ſimus, illud quoque prius declarandum, de quo lapſorum genere hoc loco ſermo ſit. Tres omninò pœnitentium ſeu lapſorum claſſes ſunt, quas S. Auguſtinus lib. de pœnit. medicinâ cap. 2, tres pœnitentiæ actiones vocat, & ibid. fusè deſcribit; Cl. verò Dn. D. Dannhavver. Hodoſoph. pag. 828 paucis proponit. *Pœnitentia*, inquit, *eſt in homine*, vel lapſo: *talis eſt omnis homo in lucem editus, auxiliorum gratiæ indigus, præcipuè verò ſunt in hoc ſtatu irregeniti, qui nunquam adhuc ad gremium eccleſiæ excitati ſunt, horum propriè eſt converſio*: vel in relapſo: *Huiusmodi eſt homo renatus, qui gratiæ primæ malitioſis peccatis iacturam fecit, atque in quendam quaſi recidivatum incidit: huius præcipuè eſt reverſio, exemplo filii prodigi declarata.* vel luctante: *Huiusmodi eſt omnis regenitus, in quotidiano agone & exercitio iugi pœnitentiæ conſtitutus; quæ pœnitentia Chriſtiano iugiter eſt neceſſaria.*

VII. Licet verò tum vox, tum notio pœnitentiæ omnibus eius tribus actionibus communis ſit. Non enim quoad ſubſtantialia alia eſt pœnitentia ante & alia poſt baptiſmum, de quo videndus Chemnitius Exam. Conc. Trid. part 2. pag. m. 324. Hutter. LL. C. pag. 752. in hoc tamen à ſe invicem differunt, quod perpetua illa, quæ in luctantibus eſt, imbecillitatum tantùm ſit & peccatorum venialium, adeoque in hominibus in ſtatu grætia conſtitutis; duæ cæteræ verò peccatorum regnantium & mortalium, videlicet in hominibus extra ſtatum gratiæ poſitis. Nam qui pœnitentiam agit, ut baptizetur, ideo id facit, ut in gratiæ ſtatum primùm recipiatur; qui poſt baptiſmum de peccatis mortalibus pœnitentiam agit, ideo eam ſuſcipit, ut amiſſam gratiam recuperet. Vnde etiam cum ſa-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

cræ ſcripturæ de converſione & reſipiſcentia loquuntur, non tam de quotidiana illa Sanctorum, quàm de duabus cæteris impiorum agunt. Doctores primitivæ eccleſiæ, qui peculiariter de hoc argumento aliquid ſcripſerunt, non illam ſed iſtam utramque & præcipuè pœnitentiam, quæ baptiſmum ſequitur, pertractant. Sic Tertullianus de utrâque earum, Cyprianus verò, Ambroſius, Ephrem Syrus, Pacianus, Chryſoſtomus & ſimiles libellos ſuos de pœnitentia lapſorum tantùm conſcripſerunt. Deinde Magiſter ſententiarum, eumque ſequentes Scholaſtici communiter circa hanc ſolam occupati ſunt. Denique noſtra Auguſtana Confeſſio de hac & non aliâ loquitur, cum articulo XII ita inquit: *Damnantur & Novatiani, qui nolebant abſolvere lapſos poſt baptiſmum redeuntes ad pœnitiam.* Quibus duo cumprimis indicantur; primò, Novatianos docuiſſe, lapſos poſt baptiſmum, etiamſi redirent ad pœnitentiam, non eſſe abſolvendos, & deinde, illam doctrinam falſam eſſe & damnandam. Nos eius veſtigia prenſantes in utrumque paucula commentabimur, hoc ordine, ut primò quinam Novatiani fuerint, deinde quomodo in Conciliis Carthaginenſi & Romano damnati ſint, tertiò quàm rectè hoc factum, & quartò denique quid ad illorum argumenta reſpondendum ſit, breviter exponamus.

SECTIO I
de
Novatianorum origine & ſchiſmate.

VIII. Circa annum Chriſti CCLI, vel, ut alii malunt, CCLIII Q. Traianus Decius, Geſſii Decii Bubaliæ in Pannoniâ inferiore nati filius vix dum imperium invaſerat, cum ſævis & terribilibus edictis tam crudelem & vehementem perſecutionem, quæ vulgò ſeptima, ab aliis octava numeratur, contra Chriſtianos inſtituit, ut non ſolùm Fabianus Epiſcopus Romanus cum innumeris aliis in eccleſia illuſtribus viris propter fidem martyrium oppeterent; ſed etiam ex adverſo plures, quàm unquam antea tum acerbitate tum lentitudine tormentorum moti paſſim fidem abnegarent. De hoc S. Dionyſius Alexandrin. epiſtolâ ad Fabium Antiochen. apud Euſebium hiſtor. eccleſ. lib. 6. cap. 40. Wolffg. Muſculo interpre

In Decianâ perſecutione multi à fide deficiunt.

prete: *Edictum Imperatoris adfertur & ſubſequitur illud à Domino noſtro prædictum propè horrendiſſimum, nempe, ut electi ſcandalizentur, ſi fieri poſſit. Terrentur omnes & confeſtim multi ex potioribus alii præ metu accurrunt, alii ſponte rebus ipſis, quæ gerebantur, ducuntur, alii à vicinis trahuntur, ac nominatim vocati ad impura, ac prophana ſacrificia accedunt, pars quidem pallentes ac trementes, quaſi non ſacrificaturi, ſed ipſi ſacrificia & victimæ eidolis futuri, ita ut à multitudine circumſtante ſubſannaretur, cunctiſque manifeſtum eſſet, timidos eos eſſe cum ad moriendum, tum ad ſacrificandum: pars verò alacrius aris accurrunt, audacter affirmantes, nec antea ſe fuiſſe Chriſtianos, de quibus veriſſimè prædictum eſt à Domino, quod ægrè ſervabuntur. Ex reliquis alii alterutrum horum partem ſequuntur, alii fugiunt, alii capiuntur, è quibus nonnulli ad vincula uſque & carceres perſtiterunt, aliqui & complures dies incluſi, tandem priusquam ducerentur ad tribunal, fidem abiurarunt; quidam verò cum tormenta quoque conſtanter pertuliſſent, poſtea negarunt.* Et Cyprianus lib. de lapſis, edit. Pamel. pag. 239: *Exciderunt, prô nefas, omnia & de memoria receſſerunt* (Domini monita) *Non expectaverunt ſaltem, ut interrogati negarent, ut thus accenderent apprehenſi. Ante aciem multi victi, ſine congreſſione proſtrati, nec hoc ſibi reliquerunt, ut ſacrificare idolis viderentur inviti. Vltro ad forum currere, ad mortem ſponte properare; quaſi hoc olim cuperent, quaſi amplecterentur occaſionem datam, quam ſemper optaſſent. Quid illi, qui à magiſtratibus veſperâ urgente dilati ſunt? quod ne eorum differretur interitus, etiam rogaverunt. Quam vim poteſt talis obtendere, qua crimen ſuum purget, quum vim magis ipſe fecerit, ut periret? Nonne quando ad Capitolium* (illa vox uſurpari ſolita pro cuiusvis civitatis publico loco, in quo Gentilium ſuperſtitio colebatur. Vide Baron. not. ad Martyr. Rom. die 29. Novembr. pag. 460.) *ſponte ventum eſt, quando ultro ad obſequium diri facinoris acceſſum eſt, labavit greſſus, caligavit aſpectus, tremuerunt viſcera, brachia conciderunt? Nonne ſenſus obſtupuit, lingua hæſit, ſermo defecit? ſtare illic potuit Dei ſervus, & loqui & renunciare Chriſto, qui iam diabolo renunciarat, & ſeculo.* Poſt pauca: *Ac multis proprius interitus ſatis non fuit: hortamentis mutuis in exitum ſuum populus impulſus eſt: mors invicem letali poculo propinata eſt. Ac ne quid deeſſet ad criminis cumulum; infantes quoque parentum manibus vel impoſiti vel attracti, amiſerunt parvuli, quod in primo ſtatim nativitatis exordio fuerant conſecuti.*

IX. At

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

IX. At Decio poſt biennium extincto, cum iſta perſecutionis tempeſtas aliquantulum conquieſceret; illi, qui pridem magno numero fidem tormentis ſubmiſerant, & idolis ſacrificârant, lapſum ſuum ſuppliciter confitentes, ut viciſſim in Eccleſiæ communionem reciperentur, anxiè rogabant. Et iam à confeſſoribus & martyribus, quos ipſi quaſi in acie ſtantes turpiter deſeruerant & præ cæteris offenderant, non pacem tantùm ſed libellos etiam eo nomine ad Epiſcopos conſecuti erant. (Quales illi libelli fuerint, infra dicetur; de diſtinctione autem inter Confeſſores & reliquos perſecutionem ſuſtinentes nunc notamus: *Confeſſores* eſſe dictos, qui licet confeſſi Chriſtum eſſent, & carceri mancipati, nondum tamen ſuſcepiſſent in quæſtione tormenta. Horum numero comprehendebantur, qui alio nomine dicebantur *Extorres* h. e. qui ne Chriſtum negare cogerentur, neve per ipſos religio diſpendium pateretur, dimiſſis omnibus bonis, quæ ſtatim fiſcus Imperatoris occupabat, ſe ſubtraherent, quæ facti potius, quàm verborum confeſſio videbatur; & ſi in eo ſtatu mortem oppetiiſſent, numero martyrum recenſebantur. *Martyres* autem non ii ſolùm, qui mortem pro Chriſto obierant, ſed etiam qui tormentorum ſævitiam conſtantiâ ſuperaſſent, licet nondum mortem ſubiiſſent; quos eleganter Tertullianus lib. de martyr. deſtinatos martyres nuncupat; his accenſentur *Profeſſores*, qui non interpellati ſe martyrio ingerebant. Conf. Pamelii annot. 2. ad epiſt. 9. Cyprian. & Henr. Spond. Annal. Eccl. ad ann. 253. num. 11.) Verùm S. Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus ratus, illam ſubitaneam reconciliationem nec Evangelio nec diſciplinæ eccleſiaſticæ conſentaneam; deinde ne ipſis quidem lapſis ſalutarem ſed periculoſam potius & noxiam eſſe, cenſuit rem iſthanc differendam eſſe in id tempus, quo pace Eccleſiæ redditâ, per totum Chriſtianum orbem de lapſorum reſtitutione conſultari poſſet. Sed dignus eſt, ut audiatur ipſe. Epiſtolâ ad plebem, quæ eſt XII. edit. Pamel. *Cum in minoribus delictis*, inquit, *quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur iuſto tempore, & exomologeſis fiat inſpectâ vitâ eius, qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſcopo & clero manus fuerit impoſita, quanto magis in his graviſſimis & extremis delictis cautè omnia & moderatè ſecundum diſciplinam Domini obſervari oportet. Nemo adhuc importuno tempore acerba poma decerpat. nemo na-*

Illi, deferveſcente perſecutione in Eccleſiæ cõmunionẽ recipi cupiunt.

Eam Confeſſores & martyres cõcedunt.

(Cõfeſſores & martyres quinã fuerint)

Cypriannus verò differendam cenſet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,391 4° 01720

vem ſuam quaſſatam & perforatam fluctibus, priusquam diligenter refecerit, in altum denuo committat; nemo tunicam ſciſſam accipere & induere properet, niſi eam & ab artifice perito ſartam viderit & à fullone curatam receperit. Audiant, quæſo, patienter conſilium noſtrum, expectent regreßionem noſtram, ut cum ad vos per Dei miſericordiam venerimus, (ob perſecutionem Carthagine ſecedere coactus erat) *convocati coepiſcopi plures, ſecundum Domini diſciplinam & confeßorum præſentiam, beatorum martyrum literas, & deſideria examinare poßimus.* Vide eiusdem epiſt. 11, 12, 14, 18, 28.

Idem R. Clero videtur.

X. Nec aliud Romano clero viſum fuit. Cum enim S. Cyprianus de hoc negotio ad eos ſcripſiſſet, illi gemino reſcripto ſententiam eius per omnia confirmarunt. In poſteriori (Baronii iudicio ad ann. 253. num. 84. Pamelius priore loco collocare debuiſſet.) quod eſt inter Cypriani epiſt. XXXI. poſtquam expoſuiſſent, ſibi poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri, Fabiani, nondum eſſe Epiſcopum propter rerum & temporum difficultates conſtitutum, qui omnia iſta moderetur, & eorum, qui lapſi ſunt, poſſit cum autoritate & conſilio habere rationem, ſubdunt: *Nobis in tam ingenti negotio placet, quod & tu ipſe tractaſti prius: Eccleſiæ pacem ſuſtinendam,* (expectandam) *deinde ſic collatione conſiliorum cum epiſcopis, presbyteris, diaconis, confeſſoribus, pariter ac ſtantibus laicis facta, lapſorum tractare rationem. Perquam enim nobis & invidioſum & oneroſum videtur, non per multos examinare, quod per multos commiſſum videatur fuiſſe, & unum ſententiam dicere, cum grande crimen per multos diffuſum notetur exiſſe.* Poſt aliqua: *Oremus, ut lapſi, intellecto ſuo crimine velint nobis interim præſtare patientiam, nec adhuc fluctuantem turbent Eccleſiæ ſtatum, ne interiorem nobis perſecutionem ipſi incendiſſe videantur, & accedat ad criminum cumulum, quod etiam inquieti fuerunt. Maxime enim illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda. Pulſent ſanè fores, ſed non utique confringant. Adeant ad limen Eccleſiæ, ſed non utique tranſiliant.* Tandem ita concludunt: *Nos diu & quidem multi, & quidem cum quibusdam Epiſcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longe poſitis perſecutionis iſtius ardor eiecerat, ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum putavimus, ſed lapſorum curam mediocriter temperandam eſſe credimus; ut interim dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſa teneatur: eorum*

rum autem quorum vitæ ſuæ finem urgens exitus dilationem non poteſt ferre, acta pœnitentia & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum; ſi lacrimis, ſi gemitibus, ſi fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi ſigna prodiderint, cum ſpes vivendi ſecundum hominem nulla ſubſtiterit, ita demum cautè & ſollicitè ſubveniri. Hæc etiam illi, inter quos ipſe etiam Novatianus, Cypriano teſte ad Antonian. contra tamen quàm poſtea ſenſit, ut infra latiùs.

XI. Cæterùm licet & confeſſores & clerici urbici, item univerſi Epiſcopi vel in Africâ vel trans mare conſtituti Cypriani conſilio acquieſcerent; nihilominus tamen tanta quorundam lapſorum importunitas erat, ut quoniam à martyribus & confeſſoribus pacem impetraſſent, eandem deinceps ab Epiſcopis non tam modeſtè peterent, quàm importunè tanquam ſibi debitam efflagitarent; quibusdam ex ipſis Presbyteris tantæ temeritati facem prælucentibus. Quum enim S. Cyprianus propter durantem adhuc perſecutionem Carthagine abeſſet, quidam eius presbyterorum, ſive ut lapſorum animos & opes ſibi conciliarent, ſive Cypriano Epiſcopo ſuo ægrè facerent, contra receptam ab omnibus ſententiam cum lapſis ſtatim communicabant, nihil illâ pœnitentiæ morâ opus eſſe dictitantes; *à primo ſtatim perſecutionis die, cum recentia delinquentium facinora ferverent, & ſacrificiis nefandis non tantum diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſæ lapſorum, atque ora fumarent, communicare cum lapſis, & pœnitentiæ agendæ intercedere non deſiſtebant*; atque ita non tantùm lapſorum invidiam Cypriano conflabant, ſed etiam confesſores & martyres, inter quos Lucianus maximè inverecundus & moleſtus erat, occultè cum eo committebant, quaſi ſcilicet illorum preces & datos libellos deſpicatui haberet. Horum anteſignanus erat quidam infeliciſſimus Feliciſſimus, cui hærebant quinque presbyteri, Felix, Iovinus, Maximus, Fortunatus & Repoſtus; illis iam antè acceſſerat Privatus antiquus hæreticus, qui poſtea ex ſuo numero Fortunatum Carthaginienſem Epiſcopum conſtituerunt: contra Cyprianus non unâ epiſtolâ cùm clero, tum plebi mandat, uti Feliciſſimum cum omnibus factionis ſociis communicatione, ut ipſe loquitur, abſtineant.

Hiſce multi ſe opponunt imprimis

Lucianus

& Feliciſſimus omnium anteſignanus.

XII. Prolixè totam rem enarrat ipſe Cyprianus epiſt. XI ad plebem & LV ad Cornelium. Ex priore nonnulla apponemus: *Nunc*, ait, *apparuit Feliciſſimi factio unde veniſſet, quibus radicibus &*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

quibus viribus ſtaret. Everſio per quinque presbyteros Feliciſsimo copulatos, ad ruinam ſalutis inducitur, ut non rogetur Deus, nec qui negavit Chriſtum, eundem Chriſtum, quem negaverat, deprecetur; poſt culpam criminis tollatur & pœnitentia, nec per Epiſcopos & Sacerdotes Domino ſatisfiat, ſed relictis Domini ſacerdotibus contra Evangelicam diſciplinam nova traditio ſacrilegæ inſtitutionis exſurgat: cumque ſemel placuerit tam nobis quam confeſſoribus & clericis urbicis, item univerſis Epiſcopis vel in noſtra provincia vel trans mare conſtitutis, ut nihil innovetur circa lapſorum cauſſam, niſi omnes in unum convenerimus, & collatis conſiliis cum diſciplina pariter & miſericordia temperatam ſententiam fixerimus; contra hoc conſilium noſtrum rebelletur & omnis ſacerdotalis autoritas & poteſtas factioſis conſpirationibus deſtruatur. Tandem poſt multa graviſſimis verbis claudit: *Si quis pœnitentiam agere & Deo ſatisfacere detrectans, ad Feliciſsimi & ſatellitum eius partes conceſſerit & ſe hæreticæ factioni coniunxerit; ſciat ſe poſtea ad Eccleſiam redire & cum Epiſcopis & plebe Chriſti communicare non poſſe.* Hæc Cyprianus ad plebem. Ad Caldonium verò & alios Epiſcopos de excommunicando Feliciſſimo epiſt. XXXIIX hæc ſcribit: *Cum Feliciſsimus comminatus ſit, non communicaturos in monte ſecum* (habuit ergo conventicula in monte quodam Carthagini vicino; unde, qui ipsũ ſequebantur, Montenſes appellati. Conf. Pamel. in h. l. & Baron. ad ann. 254, n. 38) *qui nobis obtemperaſſent, i. e. qui nobis communicarent: accipiat ſententiam, quam prior dixit, ut abſtentum ſe à nobis ſciat; quando ad fraudes eius & rapinas, quas dilucida veritate cognovimus, adulterii* (nota egregias huius Epiſcopi virtutes) *etiam crimen accedit.* Et poſt pauca: *Quisquis ſe inſpirationi & factioni eius adiunxerit, ſciat ſe in eccleſia nobiſcum non eſſe communicaturum.* Quod ipſum ſe feciſſe ſignificant epiſt. ſeq. 39. *Abſtinuimus*, inquiunt, *communicatione Feliciſsimum.* &c.

Cyprianus Feliciſsimũ communicatione abſtineri iubet.

Montenſes quinam fuerint.

XIII. Verùm enimverò, utut Feliciſſimus à Cypriano alibi ſeditionis illius ſignifer vocetur, non tamen tàm ipſe, quàm Novatus primus & præcipuus eius architectus fuit. Id rurſus ipſe Cyprian. teſtatur epiſt. XLIX: *Novatus*, ait, *apud nos primum diſcordiæ & ſchiſmatis incendium ſeminavit.* &c. Is Novatus erat presbyter Cypriani, ſive ut poſt Baronium vult Spondan. ann. CCLIV, n. 7, Epiſcopus Afer, homo nequam & plurimis vitiis coopertus, imò usque

Novatus Feliciſsimanæ ſeditionis primus architectus.

Novatus quis fuerit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,391 4° 01720

adeò improbus, ut iam pridem reliquis fratribus Afris dignus videretur, qui presbyterio exutus excommunicaretur. Et iam imminebat dies, qua eius cauſſa cognoſceretur, cum ecce Decianæ perſequutionis procella oritur. Ita contigit, ut fratres non poſſent convenire, ac Novato copia daretur, discesſione voluntariâ præveniendi iudicium ſacerdotum. Sed ille in Africa turbas concitaſſe minimè contentus, infelicia ſua germina in transmarinam quoque eccleſiam propagatum ivit. Romam igitur ſe contulit, ubi nactus occaſionem ſedis vacantis per fraudem multorum animos ſibi conciliavit, ut eorum favore vel ipſe vel ſaltem aliquis ex ſibi faventibus Epiſcopus crearetur, atque ita ſemel conflatum ſchiſma contra Cyprianum & cæteros Africanos rectiùs ſolidaretur.

XIV. Sed præſtat ſine dubio iſta paulò plenius verbis ipſius Cypriani referre. Sic ergo ille epiſtola iamiam allegatâ: *De Novato nihil inde ad nos fuerat nunciandum, cum magis per nos vobis debeat Novatus oſtendi, rerum novarum ſemper cupidus, avaritiæ inexplebili rapacitate furibundus, arrogantiæ & ſtupore ſuperbi tumoris inflatus, ſemper iſtic epiſcopis malè cognitus, quaſi hæreticus ſemper & perfidus omniũ Sacerdotum voce damnatus; curioſus ſemper ut prodat, adhoc adulator ut fallat, nunquam fidelis ut diligat, fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia, turba & tempeſtas ad fidei facienda naufragia, hoſtis quietis, tranquillitatis adverſarius, pacis inimicus. Idem eſt Novatus, qui apud nos primum discordiæ & ſchiſmatis incendium ſeminavit, qui quosdam iſtic ex fratribus ab Epiſcopo ſegregavit, qui in ipſa perſecutione ad evertendas fratrum mentes alia quædam perſecutio noſtris fuit. Ipſe eſt, qui Feliciſſimum ſatellitem ſuum diaconum nec permittente me, nec ſciente, ſua factione & ambitione conſtituit: & cum ſua tempeſtate Romam quoque ad evertendam eccleſiam navigans ſimilia illic & paria molitus eſt, à clero portionem plebis avellens, fraternitatis bene ſibi cohærentis & ſe invicem diligentis concordiam ſcindens. Planè quoniam pro magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma procedere, illic maiora & graviora commiſit. Qui iſtic adverſus eccleſiam diaconum fecerat, illic Epiſcopum fecit. Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoq; eccleſiæ denegatæ, has de illo exigunt pœnas, quas in eius furore conſpicimus. Pater etiam eius in vico fame mortuus, & ab eo in morte poſtmodum nec ſepultus. Uterus uxoris calce percuſſus, & abortione properante in parricidium partus expreſſus. Et damnare nunc audet ſacrifi-*

Eius elogia.

 cantium

cantium manus; cum ſit ipſe nocentior pedibus, quibus filius, qui naſcebatur, occiſus eſt? Hanc conſcientiam criminum iam pridem timebat, propter hoc ſe non de presbyterio excitari tantum, ſed & communicatione prohiberi pro certo tenebat: & urgentibus fratribus imminebat cogitationis dies, quo apud nos cauſa eius ageretur, niſi perſecutio antè veniſſet. Quam iſte voto quodam evadendæ, & lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commiſit & miſcuit; ut qui eiici de Eccleſia & excludi habebat, iudicium Sacerdotum voluntaria diſceſſione præcederet, quaſi evaſiſſe ſit pœnam, præveniſſe ſententiam.

Roma magnas turbas dat.

XV. Talis ergo Novatus fuit; nunc quas porrò turbas dederit, videamus. Deferveſcente nonnihil Deciano furore, Romæ in locum S Fabiani *de Dei ac Chriſti eius iudicio, de clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc aderat, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio* Cornelius eligitur. Hanc electionem acerbè ferebat Novatianus Confeſſor & Eccleſiæ Romanæ Presbyter primarius; homo in Stoicâ Philoſophiâ benè verſatus, & cæteroqui Chriſtianæ religionis haut inelegans defenſor, quippe libri de Trinitate operibus Tertulliani inſerti autor, teſte Hieronymo Catal. ſcript.; ſed ambitione nimiâ turgidus.

Novatianum adverſus Cornelium legitimũ Epiſcopum curat Anti-Papam creandũ.

In hunc incidebat Novatus, iamque antè erga Cornelium malè animatum, vehementius contra eum concitabat. Quin fictis criminibus Confeſſorum animos à Cornelio abalienans efficiebat, ut Novatianus à tribus Epiſcopis fraude ſeductis adverſus Cornelium Epiſcopus crearetur, &, ut Cyprianus epiſt. 42 dicit, *adulterum & contrarium caput extra eccleſiam fieret.* Quod quomodo peractum ſit, ex ipſo Cornelio audiemus, dummodò hîc prius obſervaverimus, quod de confuſione nominum Novati & Novatiani cum aliis obſervat Pamelius in annot. ad Cyprian. epiſt. 41: Græci plerique *vicinitate nominum falſi, Novatum illum* (Novatianum) *vocant, non rectè. Nam conſtat tum ex Cypriano, tum ex Cornelii epiſtolâ primâ in tomo Concil. non Novatum ſed Novatianum Romanum Epiſcopum factum. Atque hinc fit veriſimile, mendosè legi tum apud Euſebium, tum apud Socratem, & Nicephorum Novati nomen pro Novatiani; præſertim cum Freculphus Epiſcopus Lexovienſis in Chronicis ſuis, epiſtolam, quam Dionyſium Alexandrinum ad Novatum ſcripſiſſe aſſerit Euſebius, ad Novatianum ſcriptam dicat, cum hac inſcriptione: Dionyſius No-*

Novati nomen nõ eſt cum Novatiani confundendum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

ſius Novatiano fratri ſalutem. Sicut legunt etiam ante eum D. Hieronymus catal. viror. illuſtr. & Sophronius in græca ſua illius translatione. Quum igitur ea ætate ita legerint D. Hieronymus & Freculphus, ego ita quoque ſcriptum ab Euſebio non dubito.

Quomodo Novatianus Epiſcopus factus ſit.

XVI. Nunc quomodo Novatianus Epiſcopus factus ſit, exponat Cornelius, epiſtola ad Fab. Epiſcop. Antiochen. citatâ ab Euſebio Hiſt. Eccleſ. lib. 6, cap. 42, & à Sever. Binio Tom. 1. Concil. pag. 163 inſertâ ita: *Egregius vir* (Novatianus) *cum tremendis quibusdam iuramentis affirmaſſet nullum ſe prorſus Epiſcopatum affectare, repentè velut ex præſtigiis quibusdam in medium productus Epiſcopus apparuit. Hic enim dogmatiſtes, & eccleſiaſticæ ſcientiæ hyperaſpiſtes, cum Epiſcopatum è ſupernis ſibi non datum præſumere & ſubripere conaretur, duos hæreſis ſuæ conſortes, deploratæ ſalutis homines elegit, quos ad exiguam quandam & minimam Italiæ partem mitteret, atque inde tres Epiſcopos, homines agreſtes ac ſimpliciſsimos, artificioſo quodam figmento ſeduceret, aſſerens & affirmans Romam eos quàm citiſsimè debere venire, eo prætextu, quod omne illud diſsidium, ipſis unà cum aliis Epiſcopis intervenientibus, eſſet è medio tollendum. Hoſce, cum veniſſent, tanquam ſimplices, ut diximus, & machinationis ac verſutiæ malorum imperitos, à conſimilibus quibusdam ad hoc ſubornatis hominibus incluſos, hora decima iam temulentos & exaturatos violenter & imaginariâ quadam & vanâ manuum impoſitione epiſcopatum ipſi dare coegerunt, quem inſidioſè ac verſutè ſibi non competentem vendicat.* Paulò aliter B. Theodoretus Epiſcop. Cyrenſ. Hæretic. fabul. lib. 3; hær. 6: *Novatus* (Novatianus) *cum admodum paucos, & qui facilè numerari poſſent, ſuæ eſſe hæreſis ſocios perſuaſiſſet, abiit in Italiam & tres oppidulorum Epiſcopos decipiens deduxit, tanquam apud Romanum Epiſcopum pro eo interceſſuros. Cum autem in quendam vicum una cum ipſis veniſſet, coegit ut eum manibus impoſitis Epiſcopum ordinarent.* Hactenus de Novatiani perſonâ, quis fuerit, & quomodo inſtinctu & conſilio Novati Epiſcopum ſe deſignari iuſſerit, pro inſtituti noſtri ratione ſic ſatis; ordo nunc exigit, ut propius rem ipſam accedamus, & quænam eius de lapſis (cæteros enim errores iam miſſos facimus) ſententia fuerit, exploremus.

Quid docuerit Novatianus.

XVII. Quemadmodum Feliciſſimus Novati ſatelles contendebat, lapſos continuò eſſe recipiendos, dummodò libellum à martyribus & confeſſoribus offerrent, ſic contrario errore Novatia-

nus Novati artibus Epiſcopus factus, lapſos nequaquam in communionem recipiendos putabat, quippe quibus nulla amplius ſpes ſalutis ſupereſſet, quantumvis omnia, quæ ad veram converſionem pertinent, peragerent. Fuiſſe hanc eius mentem & ſententiam ſtatim demonſtrabimus, ſi prius viderimus, an ille deteſtandi huius erroris primus autor extiterit?

An primus ſui dogmatis autor fuerit.

XIIX. Equidem Vincentius Lerinenſ. commonit. ſui c. 34, primam profani huius dogmatis autoritatem Novatiano tribuit: *Quis*, inquit, *ante crudeliſſimum Novatianum crudelem Deum dixit, eò quod mallet mortem morientis, quam ut revertatur & vivat?* Cui accedere videtur Polydorus Verg. de rer. invent. lib. 8, cap. 4. Verùm habuit Novatianus πρόμαχον, illum Sanctulorum, ut Dn. D. Dannhavver. eos Chriſteid. pag. 531 opportunè appellat, & hagiodæmone obſeſſorum principem, Montanum videlicet; qui ex Phrygia oriundus, unde & hæreſis eius ἡ κατὰ φρύγας ψευδοπροφητεία Græcis dicitur, Niceph. Hiſt. Eccleſ. lib. 4, c. 22, vergente ſeculo ſecundo inter alia hæretica dogmata docebat, pœnitentiam lapſis & præſertim mœchis & fornicatoribus dandam non eſſe. Nam (ita Dn. D. Horneius disput. de pœnit. lapſ. §. 16.) ſicut aliàs ille pſeudophetias ſuas ſeverioris cumprimis diſciplinæ prætextu velabat, & non tantùm præter uſitata eccleſiæ ieiunia nova ſtrictiora introducebat, fugam in perſecutione à Chriſto ipſo alioquin indultam improbabat, & digamiam nuptiasque iteratas omnes ut ſcortationes traducebat, ita hac quoque in parte laudem ſeveritatis aucupabatur. Tertullianus huncMontanū blasphemis hæreticis accenſuit lib. de præſcript. cap. penult. poſtea tamen invidia & contumeliis Romani cleri (ſic cenſent Magd. centur. 3, cap. 10, pag. 236) Româ pulſus, à veritate deſcivit & contra orthodoxam Eccleſiæ de pœnitentiâ doctrinam à ſeipſo prius defenſam ſcripſit librum de pudicitia; in quo ex Montani ſcholâ promit ac tuendum ſibi ſuſcipit crudele hoc dogma: Non poſſe eccleſiam baptizatis & poſt baptiſmum in mœchiam aut fornicationem (ſub his omnia delicta comprehendit cap. 4) lapſis etiamſi poſtea pœnitentiam egerint, veniam & pacem concedere. Statim in frontiſpicio libri in Epiſcopum Romanum qui tum Zephyrinus erat, ſatis acerbè invehitur. *Audio*, inquit, *edictum eſſe propoſitum, & quidem peremtorium, Pontifex ſcilicet Maximus: Epiſcopus Epiſcoporum dicit: Ego & mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ*

Montanū πρόμαχον habuit.

Tertullianus Montaniſta exponit Montani ſententiâ.

tiâ functis dimitto. O edictum, cui adſcribi non poterit bonum factum! Et ubi proponetur liberalitas illa? ibidem opinor in ipſis libidinum ianuis, ſub ipſis libidinum titulis. Illic eiusmodi pœnitentia promulganda eſt, ubi delinquentia ipſa verſabitur. Illic legenda eſt venia, quo cum ſpe eius intrabitur. Sed hoc in Eccleſia legitur, & in Eccleſia pronuntiatur, & virgo eſt. Abſit, abſit à ſponſa Chriſti tale præconium. Illa quæ vera eſt, quæ pudica, quæ ſancta, carebit etiam aurium macula. Non habet quibus hoc repromittat. Et, ſi habuerit, non repromittit: quoniam & terrenum Dei templum citius ſpelunca latronum appellari potuit à Domino, quàm mœchorum & fornicatorum. Erit igitur & hic ADVERSUS PSYCHICOS titulus, adverſus meæ quoque ſententiæ retro penes illos ſocietatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis obiectent. Hæc ibi Tertullianus, in perſona Epiſcopi & Eccleſiæ Romanæ totam Eccleſiã catholicam ſubſannans & pſychicorum nomine cavillans. Ubi profectò non poſſumus, quin notemus illuſtre exemplum, quod partium ſtudium etiam homines doctos in ridiculas abſurditates abripiat. Tertullianus Zephyrino R. Epiſc. illudens vocat eum Pontificem Maximum & Epiſcopum Epiſcoporum; quid ad hæc Pamelius? ſtatim in Annotat. acclamat: *Bene habet & adnotatu dignum, quod etiam iam in hæreſi conſtitutus & adverſus eccleſiam ſcribens Pontificem Romànum Epiſcopum Epiſcoporum nuncupat.* Similiter Baronium, magnum illum Hildebrandinæ omnipotentiæ hyperaſpiſten ad ann. 216, num. 8, idem Tertulliani dictum ad ſtabiliendum Pontificis primatum adducere haud piget. Ei fuſius reſpondent M. Ant. de Domin. de repub. Eccleſ. lib. 4, cap. 10, num. 72, Hornei. compend. hiſt. eccl. lib. 3, cap. 2, §. 14. Nos hæc obiter ſaltem. Cæterùm de Montaniſtis pluribus agit Ioh. Forbeſius Theol. Aberdonienſ. in Inſtruct. Hiſtorico-Theol. lib. 12, cap. 10, num. 1, ſeqq. nobis ſatis eſt ὡς ἐν παρόδῳ indicaſſe, Montanum iam ſecundo ſeculo lapſorum pœnitentiam negaſſe, & cæteris hagiodæmoni litantibus viam muniviſſe. Nunc rurſus ad Novatianum.

Quid de Novatiani ſententiâ prodiderint veteres.

XIX. Diximus antè, Novatianum iis, qui poſt baptiſmum, perſecutionis metu, fidem abieciſſent, pœnitentiam & pacem eccleſiaſticam denegaſſe, id iam ex veteribus iisque probatis ſcriptoribus demonſtratum dabimus, Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 6, cap. 42: *Novatus* (Novatianus) *Romanæ eccleſiæ presbyter ſuperbia contra lapſos inflatus, quia nulla illis reliqua ſit ſalutis ſpes, etiamſi cuncta ad ſinceram converſionem*

ſionem & puram confeſſionem pertinentia perficiant, propriæ hæreſis, eorum videlicet, qui mente inflati, ſeipſos καθαρὲς puros eſſe profitentur, autorem ſe ac ducem conſtituerat. Epiphan. hæreſ. LIX: *Novatus propter eos, qui in perſecutione lapſi fuerant, cùm arrogantia una cum ſuis inflatus eos in communionem nollet admittere, qui poſt perſecutionem pœnitentiam ſusceperant, ad eam ſe convertit hæreſin, nullam ut eſſe ſpem ſalutis aſſereret, atq; unā duntaxat eſſe pœnitentiam.* μετὰ δὲ τὸ λυτρὸν μηκέτι δύναϑζ ἐλεεῖϑζ παραπεπlωκότα; *qui autem poſt baptiſmum delinqueret, nullam erga eum miſericordiam adhiberi poſſe.* Hinc apud Cyprian. epiſt. 57. illa Novatiani elogia: *Novatianus in perniciem fratrum lingua ſua perſtrepens, & facundiæ venenatæ iacula contorquens, magis durus ſecularis philoſophiæ pravitate, quàm Philoſophiæ Dominicæ lenitate pacificus; deſertor eccleſiæ, miſericordiæ hoſtis; interfector pœnitentiæ, doctor ſuperbiæ, veritatis corruptor, perditor charitatis.* Idem epiſtola 67: (de cuius tamen authoritate vide iudicium Io. de Launoy citatum & probatum Riveto crit. ſacr. lib. 2, cap. 14) *Marcianus,* ait, *Arelate conſiſtens Novatiano ſeſe coniunxit, tenens hæreticæ præſumtionis duriſſimam pravitatem, ut ſervis Dei pœnitentibus & dolentibus & ad Eccleſiam lacrymis & gemitu & dolore pulſantibus, divinæ pietatis, & lenitatis paternæ ſolatia ut ſubſidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, ſed ſine ſpe pacis & communicationis relicti ad luporum rapinam & prædam diaboli proiiciantur.* Et circa finem: *Marcianus ſe Novatiano coniungens adverſarius miſericordiæ & pietatis extitit.* Theodoret. Hæret. fab. lib. 3. *Novatus* (Novatianus) *Romanæ eccleſiæ presbyter optimis* (de recipiendis lapſis) *conſiliis non acquievit, ſed apertè contradixit,* μὴ χρῆναι λέγων τὺς ἀρνηθέντας σωτηρίας τυχεῖν, *dicens non oportere eos, qui abnegaſſent, ſalutem conſequi, ſimiliter faciens ac ii, qui ægrotis prohibent, ne utantur medicamentis.* S. Pacianus epiſt. III. ad Sympronian. *Tractatus omnis Novatianorum, quē ad me confertis undique propoſitionibus deſtinaſti, hoc continet: Quod poſt baptiſmum pœnitere non liceat; quod mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit, imò quod ipſa pereat recipiendo peccantes.* Socrates hiſt. Eccleſ. lib. 4, cap. 23: *Novatus* (Novatianus) *cum presbyter eſſet, propterea ab Eccleſia Romana ſe ſegregavit, quod Cornelius Epiſcop. fideles, qui in perſecutione à Decio Imperatore contra eccleſiam mota, ſacrificarant, in communionem reciperet. Cumque hac de cauſſa ſeparatus & ab epiſcopis, qui cum eo ſentiebant, epiſcopus factus eſſet, univerſis eccleſiis*

ſcripſit

ſcripſit, ne eos, qui ſacrificarant, ad ſacra admitterent, ἀλλὰ προτρέπειν μὲν αὐτοὺς εἰς μετάνοιαν τὴν δὲ συγχώρησιν ἐπιτρέπειν Θεῷ, τῷ δυναμένῳ ϗ ἐξουσίαν ἔχοντι συγχωρεῖν ἁμαρτήματα, *ſed hortarentur quidem ad pœnitentiam, veniæ autem conceſsionem Deo permitterent, qui poteſtatem & authoritatem peccata remittendi haberet.* Hæc Socrates, ipſe, ut rectè colligit Nicephor. Calliſt. H.E. lib. 11, cap. 14, Novatianis partibus addictus. Sozomenus hiſt. eccleſ. lib. 1, cap. 21. de Aceſio Epiſcopo Eccleſiæ Novatianorum memorat, quòd, cum ille etiam ab Imper. Conſtantino ad Concil. Nicænum invitatus eſſet, & Synodi decreta prorſus approbaſſet, interrogatus ab Imperatore, cur ergo ſe à cæterorum (catholicorum) communione ſegregaret? reſpondit: *Illos, qui poſt baptiſma peccato illo, quod peccatum ad mortem ſanctæ ſcripturæ vocant, ſe obſtringerent, myſteriorum communione indignos eſſe. nam non in ſacerdotum, ſed in Dei ſolius ſitum eſſe poteſtate, illud peccati genus ignoſcere.* Seu ut eſt apud Socrat. l. 1, c, 7: *Ad pœnitentiam quidem hortandos eſſe, ſpem verò remiſsionis non à ſacerdotibus, ſed à Deo, qui & poteſt & authoritatem habet, peccata remittendi, expectandam.* Repetit Nicephor. lib. 8, cap. 20.

XX. Philaſtrius Brixienſ. lib. de Hæreſ. cap. 34: *Novatiani, quia in perſequutione lapſi ſunt multi fideles, & in pœnitentiam ſuſcepti ſunt à catholicâ Eccleſiâ irati, imò potius præſumtione ducti ac ſuperbia, vanam doctrinam conati ſunt ſeminare, ſeparantes ſe ab eccleſia catholicâ atque à Chriſti bonitate ac miſericordiâ diſſonantes atque dicentes: Non eſſe fideli poſt baptiſmum locum aliquem pœnitentiæ.* Auguſtinus de hæreſib. ad Quodvultdeum cap. 38: *Cathari qui ſeipſos iſto nomine, quaſi propter munditiem ſuperbiſsimè atque odioſiſsimè nominant, ſecundas nuptias non admittunt, pœnitentiam negant, Novatum* (Novatianum) *ſectantes hæreticum, unde & Novatiani appellantur.* Hieronymus lib. de illuſtr. Eccl. Doct. cap. 70: *Novatianus Romanæ urbis presbyter adverſus Cornelium cathedram ſacerdotalem conatus invadere, Novatianorum, quod græcè dicitur* καθαρὸν, *dogma conſtituit, nolens apoſtatas ſuſcipere pœnitentes. Huius autor Novatus.* Conſtantin. Harmenopul. de hæreſ. *Novatiani lapſos, poſteaquam reſipuiſſent, non admittebant.* Honorius Auguſtodunenſ. hær. 50: *Novatiani lapſos ad pœnitentiam non recipiebant.* Recentiorum teſtimonia mox videbimus.

Novatiani ſectatores Cathari & Novatiani dicti.

XXI. Ex illis obiter *primò*: notamus, Novatiani ſectatores etiam Catharos & à Novatiano Novatianos dictos eſſe, qui aliàs Novatianani eſſent. De hoc inquit Gerar. Io. Voſſ. disput. de baptiſmo XIIX th. 3. *Novatianus nomen eſt à Novatiano. Nempe ut ab ἀμφίβολος & λόγος, eſſet ἀμφιβολολογία; ſed quia vox ea foret ingrata auribus, extritâ ſyllabâ, dicitur ἀμφιβολογία: ſimiliter à Novatianus eſſet Novatiananus; ſed quia nomen eſſet durum, nec aurium voluptati morigerum; eò dicimus Novatianus; ſive, ut Cyprianus maluit, Novatianenſis. At plærique Græcorum falluntur: qui, Novatum & Novatianum confundentes, Novatianos à Novato dictos arbitrantur: quanquā Novati etiam in Novatiano ſchiſmate non minimæ fuerint partes.* Confer Spondan. ad ann. 254, n. 8. & quæ ſuprà n. 15 ex Pamelio adduximus. De iſto ait idem Voſſ. d. l. disput. XIX, th. 11: *Sectatores Novatiani ſeſe καθαροὺς h. e. puros vocabant. Ac videtur ab illo nomine Cathari profluxiſſe, quod hæreticus quivis Germanis ac Belgis, Ketzer appelletur.*

Animadvertendū, quis Novatiani proprius error fuerit.

XXII. Deinde diligenter animadvertere oportet, quis Novatiani proprius error fuerit, ne fortè doctrina, quæ cum eo nihil commune habet, perperam Novatianæ hæreſeos inſimuletur. Et *primò* quidem manifeſtiſſimum eſſe putamus, Novatiani errorem non fuiſſe circa hoc caput, utrum pœnitentia Sacramentum ſit, nec ne? De hoc enim inter ipſum & catholicos minimè omnium controverſia erat. Nos præcipuos, qui de Novatiano aliquid memoriæ prodiderunt, iam iam audivimus, qui eum accuſet, quod negarit pœnitentiam eſſe Sacramentum, fuit planè nullus; imò quomodo negare potuit, quod nemo aſſeruerat? Et tamen Bellarmino hoc inſigni figmentô opus fuit ad theſin defendendam. Vide Chamier. Panſtr. Cathol. Tom. 4, lib. 4, cap. 12. *Deinde* non ſimpliciter contendit, Deum nemini, qui poſt baptiſmum lapſus iterum pœnitentiam agit, velle peccata remittere; quantumvis id nonnulli aſſerere videantur, ut Vincentius Lerin. quum eum l. c. *crudeliſſimum* vocat, *quod Deum crudelem dixerit, qui malit mortem morientis, quàm ut revertatur & vivat.* Dionyſius Alexandrin. apud Euſebium H. E. lib. 7, c. 7. dicit ſe meritò ſuccenſere Novatiano, *qui eccleſiam diſciderit, & quosdam ex fratribus ad impietatem & blaſphemias traxerit, deq́ Deo prophaniſſimam doctrinam ſubintroduxerit;* περὶ Θεοῦ διδασκαλίαν ἀνοσιωτάτην, *ac benigniſſimo Domino noſtro I. C. miſericordiæ calumniā ſtruxe-*

ſtruxerit. Quò etiam trahi poſſet Cyprianus, quando eum *miſericordiæ hoſtem, interfectorem pœnitentiæ, perditorem charitatis* appellat. Autor ſermonis de cœnâ Dom. falsò Cypriano adſcripti, propè finem ita: *Velit nolit Novatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes.* Iſtos recentior ſecutus eſt Alphonſus à Caſtro: *Tertia hæreſis* OMNEM *pœnitentiæ virtutem tollit, dicens, eos, qui ſemel lapſi ſunt, nunquam poſtea conſequi remiſsionem, quantumlibet poſtea pœniteat.* Sed hi facilè cum reliquis componuntur. Loquuntur de reconciliatione & pace, quam Dei nomine eccleſia reſipiſcentibus confert. Sed *tertiò* ita negavit Novatianus in Eccleſiæ poteſtate ſitum eſſe, lapſis veniam dare, ut interim à Deo eam impetrari poſſe, non planè inficias iverit. Eadem mens fuerat Tertulliano Montaniſtæ, à quo noſter prius errorem hauſerat. Cum enim ille cap.3 libri de pudicit. ſibi obieciſſet: Si ulla pœnitentia veniâ careat, fruſtra eam agi; id autem abſurdum eſſe, cum de omnibus delictis pœnitentia agenda ſit; ſic ad illud reſpondet: *Quantum ad illos, à quibus humanam conſequitur* (fruſtra agetur) *quantum autem ad nos, qui ſolum Dominum meminimus delicta concedere, & utique mortalia, non fruſtra agetur. Ad Dominum enim remiſſa, & illi exinde proſtrata, hoc ipſo magis operabitur veniam, quod eam à ſolo Deo exorat, quod delicto ſuo humanam pacem ſufficere non credit, quod Eccleſiæ mavult erubeſcere, quam communicare. Adſiſtit enim pro foribus eius, & de notæ ſuæ exemplo cæteros admonet: & lacrymas fratrum ſibi quoque advocat, & redit pluſque negotiata, compaſsionem ſcilicet, quam communicationem. Et ſi pacem hîc non metit, apud Dominum ſeminat. Nec amittit, ſed præparat fructum. Non vacabit ab emolumento, ſi non vacaverit ab officio: Ita nec pœnitentia huiuſmodi vana, nec diſciplina eiuſmodi dura eſt. Deum ambæ honorant; illa nihil ſibi blandiendo facilius impetrabit, iſta nihil ſibi adſumendo plenius adiuvabit.* Summa reſponſionis eſt, VENIAM A DEO CONCEDI POSSE, SED AB ECCLESIA NON ITEM. Novatianum haut aliter ſenſiſſe, cuivis patebit, qui ſcriptores paulò antè productos penitius inſpicere voluerit.

XXIII. Unde Auguſtana Confeſſio non dicit, Novatianos penitus omnem pœnitentiam ſuſtuliſſe, ſed *noluiſſe abſolvere lapſos poſt baptiſmum redeuntes ad pœnitentiam.* Eam ſic explicat ille, qui omnem antiquitatem eccleſiaſticam primus exhauſit, Chemnitius, part. 2. Exam. Conc. Trident. pag. m. 317. *Ambroſius*, inquit, No-

Novatiani errorē exponunt, Noſtri

vatianorum opinionem ita deſcribit: Pœnitentibus poſt lapſum non ſimpliciter ſanè præcidendam eſſe omnē ſpem veniæ: ſed Sacerdotes nec POSSE *nec debere illis, miniſterio evangelii remiſsionem peccatorum annuntiare, vel abſolutionem impertiri, ne Dei, ſicut ſimulabant, partes audaci temeritate ſibi uſurparent. Illos igitur, qui extra & præter miniſterium verbi & ſacramentorum vel quærunt, vel quærendam docent reconciliationem cum Deo, & remiſsionem peccatorum, ſeriò improbat Auguſtana confeſsio.* Sed iuvat adhuc pauliſper ad huius Gamalielis pedes commorari & de Novatianorum ſententiâ pleniùs diſſerentem audire ex part. 1 eiuſd. Exam. art. de fide iuſtif. pag. 308; *Utilis, ait, eſt obſervatio, unde ſumta ſit doctrina, quæ iubet verè credentes dubitare de remiſsione ſuorum peccatorum. Nam Matth. 9 ſcribæ de generali quidem promiſsione remiſsionis peccatorum non dubitant, ſed Chriſtum blaſphemiæ arguunt, propterea, quod doceat, ſe tam certò promittere & donare remiſsionem peccatorum credentibus, ut iubeat paralyticum* θαρσεῖν *h. e. bono & tranquillo animo eſſe. Et Novatiani converſis poſt lapſum non ſimpliciter negabant remiſsionem peccatorum, ſed iubebant eos benè quidem ſperare, non tamen certò ſtatuere vel* POSSE *vel debere, peccata ſibi remitti, ita enim in Tripart. lib. 9, error ipſorum deſcribitur, eſſe quidem lapſos invitandos ad pœnitentiam, remiſsionem verò Dei poteſtati relinquendam. Ita etiam Ambroſius de pœnit. lib. 1, c. 2, Novatiani dicunt, ſe ſoli Deo remittendorum criminum poteſtatem reſervare. Sed Chriſtus mandavit diſcipulis ſolvere peccata. Et lib. 2, cap. 5 dicit: Novatianos pro ſtabilienda dubitatione de remiſsione peccatorum, obieciſſe locum ex Actis cap. 8, ubi Petrus dicit: Pœnitentiam age, ſi fortè tibi remittatur iniquitas peccati tui. Ibi dicunt: Petrum non certò affirmaſſe, pœnitentibus peccata dimitti. Ambroſius verò reſpondet, Petrum ita loqui, quia Simon magus non ex fide credebat, ſed dolum cogitabat. De phraſi verò inquit, ego nec Petrum dubitaſſe dico. Nec verbi unius præiudicio totam cauſam ſtrangulandam arbitror. Nam & Chriſtus dicit Ioan. 8: Si me ſciretis forſitan & Patrem meum ſciretis; & addit: Nec poterat Petrus dubitare de Chriſti munere; qui ſibi ſolvendorum peccatorum dederat poteſtatem. Obſervet Lector, Novatianos in ſuo certamine non ſimpliciter diſputaſſe, Deum nemini, qui poſt lapſum pœnitentiā agit velle peccata remittere; ſed hæc fuit iuxta Ambroſium controverſia, an miniſter eccleſiæ, cui commiſſa eſt poteſtas ſolvendi peccata, certo debeat affirmare, an verò dubitative proponere illis, qui*

pœniten-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

pœnitentiam agunt,peccata dimitti. Item an pœnitens, qui vera fide amplectitur Chriſtum,certò ſtatuere, an verò dubitare debeat,ſibi peccata dimitti. Et ad hanc deſcriptionem certaminis Novatiani conferatur doctrina Pontificia de dubitatione. Addam verò & hoc,quod alius quidam ſuppoſititius libellus de exhortatione ad pœnitentiam, ſub titulo Ambroſii dicit: Pœnitentiam dare poſſum,ſecuritatem dare non poſſum. Non dico damnabitur,ſed nec liberabitur dico. Non præſumo, non promitto, prorſus neſcio de Dei voluntate. Aut ignoſcetur tibi, aut non ignoſcetur,quid horum tibi futurum ſit,neſcio. Hæc certè contradictoria planè ſunt eius ſententiæ,quam Ambroſius contra Novatianos ex ſcriptura defendit. Et hoc obſervet Lector, multa ſuppoſititia interſperſa eſſe ſcriptis Patrum,ut ita ſpecie antiquitatis ſimplicioribus facilius imponatur. Hæc Chemnitius; quem ſequitur Dn.D.Gerhard.art.de iuſtif. per fidem §.91,pag.1125.

XXIV. Nec aliter ipſi Pontificii iudicant. Wilh. Lindanus Panopl. Evangel. lib.4, cap.61: *Novatiani illius inſani Paracleti Montani, qui ſibi poſtea ipſe laqueo vitam abrupit, rabiem renovantes, non totam delere conabantur pœnitentiam; ſed unam pœnitentiæ partem, nimirum abſolutionem ſacerdotalem. Non dico totam ligandi & ſolvendi poteſtatem, ſed tantùm pœnitentes abſolvendi.* Iac. Pamelius annot. 83. in epiſt. 52. Cyprian. *Hic*, ait, *demonſtrat*, (Cyprianus) *in quo hæreſis Novatiani conſiſtat, non quidem, quod pœnitentiam ſubtrahebat, ſed fructum ſatisfactionis, ſive ut ſupra dixi, fructum pœnitentiæ, utpote qui ſoleret dicere fratribus: Plange & lacrymas funde, & pro purgando & abluendo peccato largiter & frequenter operare; ſed tamen pacem, quam quæris, non accipies. Quia tamen (uti paulò poſt inquit Cyprianus) dum fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipſa tollitur; hinc eſt, quod Novatianis imputare ſolent veteres ſublationem pœnitentiæ, quum potius abſolutionem ſacerdotalem tollerent, docentes ſoli Dei iudicio relinquendos pœnitentes, nec à presbytero abſolvi poſſe.* Onuphr. Panvin. annot. ad Platin. de vitâ Cornel. *Novati ſocii lapſis & immundis ſacrificiis coinquinatis, quanquam eos dignè pœnituiſſet, ſpem omnino Eccleſiaſticæ reconciliationis denegabant, Deo eiusmodi cauſſam remittentes, qui ſolus peccata dimittere poſſet.* Melch. Canus part. 5. relect. de pœnit. pag. 873 ſeqq. *Primum eſt, pœnitentiam exteriorem, in qua Sacerdos pœnitentiam à peccatis abſolvit, eſſe Sacramentum. Hoc fundamentum primi Novatiani evertere voluerunt, negarunt enim Sa-* 2. *Pontificii.*

cerdotes per abſolutionem peccata remittere, atque ex conſequenti negavunt pœnitentiæ Sacramentum. De inepta illa conſequentiâ modò non ſumus ſolliciti. Baronius Annal. Eccl. ad ann. 254, num. 107. *Quod Novatianus, de cuius hæreſi ſermo eſt, negaret lapſos pœnitentes in Eccleſiam recipiendos, eò vecordiæ atque temeritatis prolapſus infelix eſt, ut negaret, quod eſt in Apoſtolico ſymbolo, Remiſſionẽ peccatorum in Eccleſiâ reperiri. Sed & ex neceſſaria quoque aſſumtione hæreſis eiusmodi deduci concluſio videbatur: ut à Chriſto Eccleſiæ claves datas eſſe tam procaciter, quàm turpiter negaretur tum ab ipſo, tum illis, qui ab eo denominati ſunt Novatiani; in quos hæc S. Auguſtinus de Ago. Chriſti c. 31: Nec audiamus eos, qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere. Itaq; miſeri dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas Eccleſiæ claves regni cœlorum, ipſi eas de manibus amiſerunt. Iſti ſunt qui viduas, ſi nupſerint, tamquam adulteras damnant & ſuper doctrinam Apoſtolicam ſe prædicant eſſe mundiores: qui nomen ſuum, ſi vellent agnoſcere,* mundanos *ſe potius quàm* mundos *vocarent. Hæc & alia Auguſtinus.* Eodem modo Spondan. ad ann. eund. num. ult. nec non Gabr. Albaſpinæus Aurelianenſ. Epiſcop. Obſervat. de veter. Eccleſ. ritib. lib. 2, obſervat 21: *Novatianorum error in eo poſitus, quod opinarentur Deum ipſum Eccleſiæ neq; remittendorum, neq; retinendorum peccatorum capitalium poteſtatem copiamq; feciſſe.* Et mox: *Novatiani igitur Chriſtum Dominum in Eccleſiam ſuam hanc autoritatem poteſtatemq;* (ligandi atque ſolvendi) *transfudiſſe inficiabantur.* Dion. Petavius animadv. ad Hær. 59. Epiphan. pag. 227: *Sciendum eſt, non pro eo, quod Lapſos ad communionem, & Eccleſiaſticam pacem admittendos negarent, Novatum & Novatianum Hæreticos habitos, atq; ab Eccleſiâ Catholicâ proſcriptos fuiſſe: ſed quòd nullum ad eos reconciliandos, condonandaq; delicta ius in Eccleſia eſſe perfidioſè ac crudeliter aſſeverarent. Quod, inquam, clavium, ut vocant, poteſtatem Eccleſiæ ac Sacerdotibus detraherent, ut reliquos eorundem errores omittam, Novatiani tanquam hæretici damnati ſunt.*

3. Calviniani. XXV. Idem Calviniani agnoſcunt. Calvinus ipſe, poſtquam Inſtitut. lib. 4, cap. 1, ſect. 22 dixiſſet, tria hæc obſervanda eſſe: *primùm quantalibet ſanctitate polleant filii DEI, hac tn. conditione ſemper eſſe, quandiu in mortali corpore habitant, ut ſine peccatorum remiſſione conſiſtere nequeant coram DEO; deinde hoc beneficium eſſe Eccleſiæ proprium; tertiò per Eccleſiæ miniſtros diſpenſari vel Evangelii*

prædicatione

prædicatione vel Sacramentorum adminiſtratione, atq; hac in parte maximè eminere clavium poteſtatem, quam Dominus fidelium ſocietati contulit, ſeq. ſect. 23. ita pergit: *Quoniam autem phrenetici illi, quos dixi, Spiritus hanc unicam ſalutis anchoram eripere Eccleſiæ conantur; adverſus tam peſtilentem opinionem fortius roboranda ſunt conſcientiæ. Novatiani olim iſto dogmate Eccleſias exagitarunt, ſed Novatianis non multum diſsimiles noſtrum quoq; ſeculum habet quosdam ex Anabaptiſtis, qui ad eadem deliramenta delabuntur. fingunt enim regenerari DEI populum in baptiſmo in puram & angelicam vitam, quæ nullis carnis ſordibus vitietur. Quod ſi poſt Baptiſma quis delinquat, nihil præter inexorabile DEI iudicium illi relinquunt. Breviter, peccatori poſt acceptam gratiam lapſo ſpem veniæ nullam faciunt; quia non aliam agnoſcunt peccatorum remiſsionem, niſi quâ primum regeneramur.* Ex recentioribus Voſſius diſp. 19. de baptiſ. th. 11: *Novatiani proprium hoc dogma erat, quod lapſos diceret Deo uni committendos, facturo de iis, quod vellet; neutiquam verò recipiendos eſſe in Eccleſiam, quæ ignoſcendi illis non haberet poteſtatem. Idcircô ſectatores eius ſeſe* καθαροὺς *h. e. puros vocabant: ut qui non tantùm lapſu ſe minimè polluiſſent; ſed ne communicando quidem cum lapſis, ut cæteri fecerant.*

XXVI. His iungimus M. Ant. de Domin. lib. 5. de repub. Eccl. cap. 7, num. 55, pag. 224: *Quia Novatiani & Montaniſtæ negabant, poſſe Eccleſiam peccatores reconciliare, Tertullian. de pudicit. niſi pro levioribus, hinc conſequenter negabant Eccleſiam poſſe dare remiſsionem peccatorum. non enim negabant abſolutè Deum remittere peccata lapſis, pœnitentiam internam peccatori non auferebant & negotium cum Deo, à quo poſtulare deberent remiſsionem, relinquebant, ſed externam pœnitentiam poſſe utiliter eccleſiaſticam obtinere remiſsionem pernegabant: ibid. ſalva illa pœnitentiæ ſpecie poſt fidem, ait Tertullianus Montanizans, quæ aut levioribus delictis veniam ab Epiſcopo conſequi poterit: aut maioribus & irremiſsibilibus â Deo ſolo.*

XXVII. Hæc ideò paulò pluribus exponenda & diverſarum partium teſtimoniis confirmanda erant, (1) ut omnibus liquidò conſtare queat, quàm inſigni, iniuriâ dicam an calumniâ, nos oneret Bellarminus, quando lib. 1 de pœnit. cap. 9, tetram Novatianorum hæreſin nobis impingere pertendit. Tantum abeſt, nobis Eccleſiisve noſtris vel tantillum cum eâ commercii eſſe, ut illam ſuô meritô conſtanter cum Auguſtanâ Confeſſ. execremur & damnemus; uti

Vſus hactenus dictorum. Primò.

Secundò. Quinam hodie pro Novatianis habendi ſint.

mus, uti ex ſectione tertiâ conſtabit. (2) ut quiſque rectè & accuratè judicare poſſit, ecquos hodiè pro Novatianis habere debeat. Benè Marc. Ant. de Dominis loc. cit. *Quicunq; hodie negaret, utilem eſſe externam Eccleſiaſticam pœnitentiam & ſatisfactionem reconciliationemq;, hoc eſt, Eccleſiaſticam ſolutionem ad peccati remiſsionem non pertingere, is Novatianus verus eſſet, & fallacia Chriſti faceret verba illa: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quæcunq; ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cœlis.* Atqui hoc negant, qui ſtatuunt *miniſterio externo eius cohoneſtandi ergo phraſi Sacramentali effectum miniſterii interni tribui*; Grynæus in diſp. Heidelberg. anno 84, theſ. 6, aphor. 4, allegante D. Mentzero Exeg. A. C. art. 5. pag. m. 244; Qui dicunt, *valde eum falli & in Deum ipſum iniurium eſſe, quisquis aut hominibus, per quorum os loquitur, vel ipſi externo Dei verbo vel ſacramentalibus ſignis, Deum exiſtimat, vel tantillum divinæ illius ſuæ virtutis hominibus renovandis & æternâ vitâ in Chriſto ſervandis attribuere*; Beza in 2 part. ad art. Colloq Mompelgart. reſp. de bapt. p. 116. Qui, non animadvertentes turpẽ fallaciã in oppoſitione cauſarũ nempe principalis & inſtrumentalis, aſſerunt: *internam vim & efficaciam, qua ſanctificemur, non eſſe miniſtrorum nec in ipſorum externo verbo & actionibus* (abſolutione ſcilicet & Sacramentorum adminiſtratione) *incluſam, ſed eſſe Spiritus ſancti.* Item: *miniſtros cum externis interna dona non exhibere*, Pareus in exeg. doctrin. Palatin. p. 81 ſeqq. Qui denique ſeparant miniſterium externum ab interno, hoc eſt, ea diſſolvunt, quæ Deus ipſe arctiſſimè copulavit. Deliros Socinianos, Svvenckfeldianos, Weigelianos & quicquid iſtorum fanaticorum eſt, lubenter hîc præterimus. Vide interim ſingularia quædam eorum emblemata à venerabili Dn. D. Fevvrbornio adducta & refutata Faſcic. 6, diſput. 3, §. 4, 5, ſeqq. Adde D. Thummii Impiet. Weigel. Err. 96, 97, 100. pag. 213, ſeqq. Io. Crocii Anti-Weigel. hoc anno edit. parte alt. cap. 4, quæſt. 2, ſect. 2. obiect. 5, 6, 7. ſeqq.

Tertiò.

Ex Pontificiorum hypotheſib. legitimâ

XXIIX. (3.) Ut liqueat, unde ſumta ſit doctrina, quæ iubet verè credentes dubitare de remiſſione ſuorum peccatorum. Si hîc adverſarii tantopere aliqua conſequentiâ delectantur, dabimus eam, non quidem frigidam & elumbem, qualis eſt illa Bellarmini: *Lutherani negant, pœnitentiam eſſe Sacramentum propriè dictum. E. Sunt Novatiani*; ſed vivam & validam; nimirum hanc: *Pontificii iubent verè credentes dubitare de remiſsione ſuorum peccatorum. E. Sunt Novatiani*

vatiani. Quid enim (ſunt verba B. Gerardi L. de iuſtif. per fid. p. 1124.) *aliud eſt negare miniſterialem poteſtatem remittendi peccata, quàm concedere quidem, quod generalis promiſsio remiſsionis peccatorum in Eccleſia vigeat, interim tamen negare, quod abſolutione miniſtri certus quiſpiam fieri poßit, ſibi verè remiſſa eſſe peccata?* Rectè etiam Pamelius annot. 26 ad Tertullian. lib. de pudicit. pag. 717: *Valde incerta eſt venia & perinde (quantumvis id neget Tertullianus*, negent paterculi Tridentini) *pœnitentia vana, ſi quis à ſolo Deo veniam* (veniæ certitudinem) *expectare debeat.* Plenius argumentamur hoc modo: Quicunque fructum pœnitentiæ intercipiunt, illi ipſam pœnitentiam tollunt, Sed Pontificii fructum pœnitentiæ intercipiunt. E. ipſam pœnitentiam tollunt. E. Novatiani ſunt. Maior eſt veriſſima & ſupra num. 24 ab ipſo Pamelio ex Cypriano demonſtrata. Minor. prob. è Concil. Trid. ſeſſione 6, can. 9: quo ſeriò præcipitur, ne quis aſſerat, *oportere eos, qui iuſtificati ſunt, absque ulla omninò dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe iuſtificatos.* Quid autem eſt pœnitentiæ fructum intercipere, ſi hoc non eſt? Verùm hæc ipſa per temporis anguſtiam ulterius perſequi non licet.

Antiqui Canones Patresq; à Novatianiſmo vindicantur.

XXIX. (4) Denique controverſiæ ſtatu probè obſervato, facilè erit cùm antiquiſſimam Eccleſiam, quæ vel ante Tertulliani ſeculum fuit, tum Eliberitanos canones aliorumque Patrum effata à Novatianæ hæreſis ſuſpicione vindicare, quod alioquin, ſi ſaltem perfunctoriè inſpiciantur, penè impoſſibile fuerit. Scilicet fatendum omninò eſt, ſub ipſum Chriſtianæ religionis exordium, flagrante peræquè ſtudio pietatis & improbitatis odio, multò & graviores in delicta pœnas & diuturniores conſtitutas fuiſſe; imò rem eousque habuiſſe progreſſum, ut atrocioribus quibusdam ſceleribus, nominatim tribus illis inſignibus idololatriæ, homicidio & adulterio, venia indulgentiaque planè denegata fuerit, ut nunquam cum Eccleſià reconciliari poſſent. Quod certè tanquam ab hodiernis moribus & inſtitutis abhorrens omnibus mirabile, multis etiam incredibile videri poſſet; ſed à ſolertiſſimis priſcæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſcrutatoribus, quos inter Petavius d. l. pag. 228 ſqq; & Albaſpinæus lib. 2, obſervation. 6, 7, 9, 12, 13, 15, 17, præclaris documentis comprobatur. Eliberitani verò canones quàm hìc æquè ſeveri & auſteri ſint, ex uno vel altero, quos infrà producturi ſumus, clarum evadet. Deniquè non antiquiſſimorum ſolùm ac duriorum ſed etiam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

poſteriorum eorundemque commodiorum temporum Patres Novatianis valde affines videntur, quando docent, uti unum baptiſma, ſic unam etiam de graviſſimis peccatis pœnitentiam eſſe; adeoquè poſt ſemel actam pœnitentiam, ſi quis denuo iisdem ſe criminibus obſtrinxerit, ab Eccleſiæ neceſſitudine, & myſteriorum communione penitus excluſum reconciliari amplius non poſſe. De quo iterum videndi prædicti autores. Conf. ex noſtris Dn. Chemnit. Ex. part. 4. pag. 106. Multos hic ſcrupulus vehementer urſit. Nonnullos eo demum impulit, ut Eliberitanam Synod. imprudentem, erroneam, imò propter nonnulla alia, quæ definivit, planè impiam dicerent, ut Melch. Canus in Loc. lib. 5. c. 4, § Quarta concluſ. Bellarmin. lib. 2, de imagin. cap. 9. Lindanus verò Panopl. lib. 4, cap. 62, reſpondet, eſſe Patres illos de pœnitentiâ ſolenni intelligendos. *Quod*, ait, *apud veteres interdum occurrit, pœnitentiam non eſſe iterandam: Item, pœnitentiam ſemel, uti baptiſmum, eſſe ſubeundam, non niſi de publicà illa ſollenni intelligat oportet, qui graviſſimos ſcriptores ſecum ipſos conſiſtere eosve ſui ipſorum non fuiſſe immemores arbitratur.* *Proinde falsò Aurel. Auguſtinum Novatianiſmi affinem inſimulat B. Rhenanus Annot. in Tertull. de Pœnit. aliosq; veterum permultos, quod ii lapſis à baptiſmo pœnitentiam prorſus denegant.* Eodem modo Sixt. Senenſ. Biblioth. lib. 6, annot. 288. Chryſoſtomum, & alibi alios excuſat: Et noſtratium quidam non alia reſponſione utuntur. At verò hoc pactô ſcrupulus ille hautquaquam eximitur. Etenim conceſſo, quod illi volunt, uti ſanè concedi debet, cum expreſsè apud Ambroſium lib. 2, de Pœnit. cap. 10. habeatur, ibi: *Sicut unum baptiſma, ita una pœnitentia, quæ tamen* PVBLICE *agitur*; poſito, inquam, Patres illos, ut & Eliberitanos canones de publicâ ſolenni pœnitentia exponendos eſſe; tamen eadem quæſtio ſtatim recurrit, quare videlicet illos homines, qui poſt priorem pb. & ſolennem pœnitentiam in eadem ſcelera rurſus incurrerunt, ab Eccleſiâ penitus reiecerint, & nihil reliquerint, cuius beneficio in integrum reſtituti ad divinorum myſteriorum communionem redirent? An verò aliquid à Novatiana hæreſi propius abeſſe poſſet? Ita ſanè videtur. Verùm, quantum mihi quidem per ingenii tenuitatem iudicare licet, omnis hæc difficultas inde oritur, quod ſtatus controverſiæ ſeu quænam Novatiani propria & vera ſententia fuerit, non rectè attendatur. Illa, uti vidimus, non hæc fuit, quod

lapſos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

lapſos ad communionem & Eccleſiaſticam pacem admittendos negaret; ſed, quod nullum ad eos reconciliandos condonandaque delicta IVS in Eccleſiâ eſſe; imò omnem Eccleſiam, quæ condonaret & reconciliaret, æternùm perituram, perfidioſè ac crudeliter aſſeveraret. Atqui hoc ipſum nullus Eliberitanorum, aut quorumcunque aliorum orthodoxorum Patrum aſſeruit. Nullum enim delictum aut flagitii genus eſſe, quod non eadem illa, quæ ligare ac retinere poteſt, ſolvere rurſum ac remittere poſſit Eccleſiæ poteſtas, paſſim confitentur. Quid ergo? Breviſſimè dicam: Eius, quam ampliſſimam à Chriſto acceperant, poteſtatis VSVM certis finibus circumſcripſerunt, & ad continendam ſanciendamque diſciplinam ſeverioribus initio legibus & inſtitutis adſtrinxerunt; poſtea verò, cum commodum videretur, relaxarunt viciſſim & ad praxim revocarunt.

Novatiani propria ſententia repetitur, & cum antiquorum Patrũ dictis confertur.

XXX. Quæ Novatiani ſententia fuerit, videmur nobis ſic ſatis explicaſſe. At cum illa prorſus crudelis ſit, atque ut Euſebius vocat, μισάδελφος ϗ ἀπανθρωπολάτη, non ſine cauſſa quis miretur, quî factum ſit, quòd etiam apud homines Chriſtianam fidem & charitatem profeſſos aliquem locum invenerit? Equidem Novatum, qui non ita pridem in Africa cum Feliciſſimo & eius factione S. Cyprianum exagitarat, quod lapſos ſtatim & ante pœnitentiam legitimè actam in communionem non reciperet, ita contrà, cum Romam appuliſſet, derepentè vela vertiſſe, cumque Novatiano Cornelium ideò, quod lapſos pœnitentiâ functos admitteret, oppugnaſſe, nemo mirabitur, qui defunctoriè ſaltem ex Cypriano repetierit, fuiſſe eum *rerum novarum ſemper cupidum, curioſum ſemper ut proderet, adhoc adulatorem ut falleret, nunquam fidelem ut diligeret, facem & ignem ad conflanda ſeditionis incendia, turbonem & tempeſtatem ad fidei facienda naufragia, hoſtem quietis, tranquillitatis adverſarium, pacis inimicum.* Verùm quomodò pios & fideles in ſuas partes pertraxerit, meritò aliquis quærat. De rationibus & argumentis ab illo ex Scripturis petitis inquè ſpeciem ſolidis poſtea videbimus, iam breviter, quantum adhuc ad primam ſectionem ſpectat, ita habendum:

Quibus artibus Novatianus alios ineſcàrit.

XXXI. Cùm Novatianus eo, quem ſupra diximus, modo ſe Epiſcopum Rom. creari curaſſet, ſublato manifeſti ſchiſmatis & publicæ diſcordiæ vexillo, contra Cornelium verum & legitimum

Primò ad totius orbis eccleſias mittit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

literas ἐνθρονιστικάς. Quales illa fuerint.

Urbis Epiſcopum, illico ad totius orbis Eccleſias ſcripſit. Erat veteribus in more poſitum, ut Epiſcopi, præſertim verò magnarum ſedium, cum in ſede Epiſcopali collocati eſſent, ſcriberent de onere ſibi impoſito, & de ea fide, quam confiterentur, literas ad alios Epiſcopos, quas appellabant literas *συνοδικὰς*, item *ἐνθρονιστικάς*. Eæ literæ ſi orthodoxam confeſſionem continerent, recipiebantur ab orthodoxis Epiſcopis, ad quos miſſæ erant, & in fraternæ communionis teſtimonium reſcribebant Epiſcopi *ἀντισυνοδικὰ*, reciproca ſynodica ſive literas *ἀμοιβαιὰς*, reſponſorias, per quas veluti dextras dabant ſocietatis, uti ex ſuis autoribus deducit Baro Forbeſius Inſtructione Hiſtorico-Theol. lib. 3, cap. 16. n. 4. & lib. 5, cap. 9, 9. Conf. Dn. D. Danhavver. & quos ille citat Chriſt. pag. 201, ſq. Tales ergo literas etiam Novatianus miſit, & inter alia hoc feriò ſuaſit, ne eos qui idolis ſacrificaſſent, ad ſancta myſteria admitterent. De his Socrates hiſt. Eccleſ. lib. 4, cap. 32. *Cum*, ait, *Novatianus ſe ab eccleſiâ ſeiunxiſſet, primùmq; ab Epiſcopis idem cum illo ſentientibus Epiſcopatum adeptus eſſet; deinde omnibus ubiq; Eccleſiis ſcripſit literas, ut eos, qui ſimulacris immolaſſent, minimè ad myſteria admitterent, ſed hortarentur ad pœnitentiam, remiſſionemq; permitterent* DEO, *qui poteſt & habet autoritatem peccata remittendi.* Quid verò literæ illæ præſtiterint, continuò ſubiungit: *Quibus literis ad provincias perlatis, ſinguli pro ſuopte ingenio de rebus illis ſignificatis iudicium fecerunt. Nam quia erat à Novato* (Novatiano) *ſignificatum, eos, qui poſt baptiſma peccatum ad mortem commiſerant, ad myſteria non eſſe recipiendos, eiusmodi canonis promulgatio quibusdam acerba & ſevera nimis viſa eſt: à nonnullis probata, utpote æqua & ad vitam rectè inſtituendam multum adferens adiumenti.* Eodem modo Nicephorus Socratem exſcribens hiſt. eccleſ. lib. 11, cap. 14: *aliis quidem acerba & immanis canonis huiusmodi viſa eſt eſſe ſententia; alii autem, quod iuſtum & ad vitamq; moresq; corrigendos accommodatum eſſe cenſerent, decretum ſuſceperunt.* Sic itaque illud ſimulatum pietatis ſtudium & bracteata vitæ ſanctitas multorum animos effaſcinavit.

Secundò, per emiſſarios oſtiatim erroris ſui ſocios quærit.

XXXII. Deinde inſignem illi operam præſtiterunt egregii emiſſarii, Maximus presbyter, Augendus diaconus, Machæus quidam & Longinus, quos Cyprianus *novos Apoſtolos* vocare amat; Illi certè, quam nacti erant, ſpartam magno ſtudio exornarunt. Nam in Africà *hoſtiatim per multorum domos vel oppidatim per quaſcunq;*

civitates

civitates diſcurrentes, obſtinationis ſuæ & erroris ſciſſi ſibi quærere comites non deſtitêre. Quid? quod eò dementiæ plurimos deduxere, ut *pars Maximum Presbyterum ſibi Pſeudo-Epiſcopum faceret*; quod etiam in aliis civitatibus Novatiani factitarunt; uti pluribus recenſet Cyprian. epiſt. 41, 52 & 55. Tertiò accedebat gravis autoritas quorundam Presbyterorum cum Maximi (alius ab illo in Africâ Pſeudo-Epiſcopo creato) & Urbani, qui ſecundò Confeſſores extiterant, tum Sidonii & Celerini, qui, quod iam integrum annum in carcere exegiſſent, &, ut Euſeb. inquit lib. 6, cap. 42, *omnia tormentorum genera ſuperaſſent*, illuſtre & venerabile nomen apud omnes ſibi pepererant; illi *per omnes eccleſias frequentes literas maledictis & calumniis*, qſ. Cornelius Papa in hæreſin prolapſus eſſet, quòd eos, qui idolis litaverant, pœnitentes in eccleſiæ communionem ſuſciperet, *plenas mittebant & pené omnes eccleſias perturbabant*, uti poſtea in rectam viam redeuntes ipſimet faſſi ſunt, referente Cornelio epiſt. 46 ad Cyprian. Quartò, non prætereunda ratio, quam Albaſpinæus d. l. obſev. 9 & 20 aſſignat; ſcilicet Apoſtaſian iam multò antè ab eccleſia perpetuæ pœnitentiæ fulmine ictam, & apoſtatas ne in morte quidem abſolutos fuiſſe, quàm Novatiana hæreſis in lucem tenebris erupetit; cumque adeò Novatianus nihil novi, cæteri verò lapſis & apoſtatis veniam concedentes rem inſolentem & inuſitatam deſignare viderentur, inde factum eſſe, ut ille haut paucos doctrinæ ſuæ æmulatores invenerit.

Tertiò, accedit gravis quorundam Confeſſorũ autoritas.

Quartò, Veteris eccleſiæ ſeveræ diſciplinæ eum haut parum iuvit.

XXXIII. Poſtremò impio prorſus & nefando exemplo etiam ipſis S. Euchariſtiæ myſteriis ad ſchiſma ſuum propagandum & ſtabiliendum abuſus eſt. De quo operæ pretium fuerit ipſum Cornelium audire ex epiſt. ad Fabium Antiochen. apud Euſeb. l. c. *Quum*, ait, *oblata diſpenſaret, & cuique partem tribueret; illud adiecit, & miſeros homines antequam de benedictione ac collectis ſumerent, iurare coegit, utriſque illorum manibus prehenſis, nec dimiſſis, donec iurantes iſta dicerent; (utar enim illius verbis) iura mihi per corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod me nunquam deſerere & ad Cornelium reverti velis. Et miſer homo non guſtavit, niſi primum ſe illi devoviſſet, & pro eo, quod accipiendo panem illum, dicendum erat: Amen; dixiſſet: Ad Cornelium non revertar.* His inventis & perditiſſimis artibus bene cohærentia Chriſti membra diſtraxit, & catholicæ eccleſiæ corpus unum miſerè laceravit. Hinc graviſſimæ in totâ

Quintò, ipſa S. Euchariſtia ad errorẽ ſtabiliendum abuſus eſt.

eccleſia turbæ, & ut Magdeburg. centur.3, c. 8 vocant, *ingens & maxime turbulentum ſchiſma, quod tandem in hæreſin nocentem & quàm longiſsimè graſſantem deſiit*, exortum eſt. Illud porrò, quomodo cæteri orthodoxi ſublatum iverint, deincipe ſectione perſequemur.

SECTIO II,

Conciliorum Novatiano oppoſitorum ſtatum, quando, ubi à quibus, & quo modo habita, quid in iis decretum, & denique quænam decretum conſequuta ſint, compendiò exponens.

Africana Eccleſia dolet Romanæ vicem.

XXXIV. Quod S. Paulus 1 Cor. 12 de Chriſti corpore myſtico dicit, ſi unum membrum patiatur, dolorem ſimul in reliqua membra diffundi, & exin' alia invicem pro aliis eandem ſollicitudinem gerere, eius pulcerrimum exemplum ſuppeditat Africana eccleſia. Enimverò ſimulac de turbis in Romanâ Eccleſiâ ſubortis cõperit, non ſolùm vehementer contriſtata, &, ut Cypriani verbis utar, intolerabili perculſi & penè proſtrati pectoris mœſtitia perſtricta fuit, verùm etiam de ſedandis motibus apprimè ſollicita. Initio Cyprianus iſtuc literas dedit, quibus ad concordiam hortatus fuit; illæ quidem hodiè deſiderantur, miſſas autem eſſe conſtat ex epiſt. ad Cornel. 42. Deinde concilium Africæ Carthagini indixit, ex quo mox Romam Caldonium & Fortunatum Coepiſcopos ſuos miſit, ut ii vel litem maturè componerent, vel certè, ſi id fieri non poſſet, quid veri in tota cauſſa eſſet, explorarent & referrent, ut ea de re porrò eccleſiæ omnes certiores fierent. De hoc ipſe Cyprianus epiſtola cit. ad Cornel. *Quod ſervis Dei & maxime Sacerdotibus iuſtis & pacificis congruebat, frater cariſsime, miſeramus nuper collegas noſtros Caldonium & Fortunatum, ut non tantum perſuaſione literarum noſtrarum, ſed præſentia ſua & concilio omnium veſtrum eniterentur, quantum poſſent & elaborarent, ut ad catholicæ eccleſiæ unitatem, ſciſsi corporis membra componerent, & Chriſtianæ charitatis vinculum copularent.* Sed componere illi diſſidium non potuerunt, *quoniam* (ſic enim pergit) *diverſæ partis obſtinata & inflexibilis pertinacia radicis & matris ſinum atque complexum recuſavit.*

Cyprianus Romam legatos mittit, ut litem cõponant.

Sed fruſtra.

Dionyſius Novatia-

XXXV. Sanctus etiam Dionyſius Epiſcop. Alexandrin. Novatianum iam Epiſcopum per literas, ut ſe epiſcopatu viciſſim abdicaret

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

caret, ſedulò hortatus eſt, præſertim quum ille ſe à fratribus ad eum capeſſendum vi quadam compulſum eſſe, ſcripſiſſet, Epiſtola prorſus aurea, & ne non à nobis hoc loco citetur, digniſſima extat apud Hieron. de ſcript. Eccleſ. cap. 69, repetita ex Euſebii lib. 6. H.E. c. 44. *Dionyſius Novato* (Novatiano) *ſalutem*. εἰ ἄκων, ὡς φῂς, ἤχθης, ἂν δείξεις, ἂν ἀναχωρήσης ἑκὼν, *ſi invitus impulſus es, ut dicis, declarabis hoc, ſi voluntariè redieris. Oportebat quidem nihil non ferre ne eccleſiam Dei ſcinderes. Nec minus laudabile, imò mea quidem ſententia, etiam præclarius martyrium eſt, quod ideò ſubitur, ne eccleſia ſcindatur, quàm quod propterea fit, ne idolis ſerviatur: hic enim pro una & ſua ſolius anima, illic pro tota eccleſia quis martyr fit. Et ſanè ſi perſuaſeris fratribus, aut eos compuleris, ut ad concordiam redeant, culpæ magnitudinem correctionis modus facile ſuperabit, & illa quidem non imputabitur, hæc verò etiam laudi tibi erit. Quod ſi autem illi auſcultare tibi nolint, ut efficere id non poſſis, tu tamen tuam ipſius animam ſerva. Valere te & paci adhæreſcere in Domino exopto.*

tianum literas hortatur, ut pacem colat.

XXXVI. Verùm cum hæc & alia ſaluberrima monita Novatianus ne pili faceret, tandem in Africâ à Concilio Carthaginienſi & deinde etiam in Italia à Romano condemnatus eſt. *Cum*, inquit Theodoret. hæret. fabul. lib. 3, *Novatianus optimis conſiliis non acquieſceret, ſed aperte contradiceret, Epiſcopi, qui Romæ convenerant, conati ſunt perſuadere, ut iis, quæ optimè conſtituta fuerant, aſſentiretur. Poſtquam autem viderunt eum furere & Deo inviſam crudelitatem ſtatuere, eum ab Eccleſiæ corpore ſepararunt*; quod quomodo peractum fuerit, equidem ultrò fatemur, nos accuratè & eo modo, ut animus omniũ geſtorum avidus plenè exſaturetur, explicare non poſſe. Cogitabit benevolus Lector, hæc omnia circa medium ſeculi tertii contigiſſe, illo inquam tempore, quo, ut venerandi Præceptoris mei Dn. D. Calixti in Apparat. in Theolog. p. 115 verba hîc applicem, *præclarius pietatis & Chriſtianæ charitatis argumentum erat, pro Chriſto ſpe promiſſæ vitæ mortem oppetere, quàm adverſarium disputatione conſtringere*, aut faſtos condere & res geſtas operoſis commentariis ad poſteros transmittere. Meminit quidem S. Cyprianus epiſt. 52. alicuius libelli continentis ſingula Synodi Africanæ acta & placitorum capita, quem ipſe conſcripſerat. Et S. Hieron. de ſcriptor. c. 66 de Cornelio R. refert, quod *ſcripſerit epiſtolam ad Flavianum Antiochen. de Synodo Romana Italica & Africana, & aliam de Novatiano*

Novatianus non audiens ſalubrium monitorũ in Conciliis Carthag. & Rom. damnatur,

quorum tamen Acta pridẽ interciderunt.

& de his , qui lapſi ſunt ; tertiam de geſtis Synodi ; quartam adeundem Flavianum valde prolixam & Novatianæ hæreſeos cauſſas & anathema continentem. Confer Euſeb. l. 6, c. 42. Verùm iſta omnia iam pridem exciderunt, præter ſecundam Cornelii, quam Binius T. 1. Concil. pag. 161, recenſet & genuinam eſſe exiſtimat. Hinc etiam apud Conciliorum collectores, Carranzam, Franciſc. Longum à Coriolano, Sev. Binium, quorum duntaxat inſpiciendorum copia fuit, perpauca de hisce reperiuntur; quin ipſi Magdeburgenſes (at quanti, quàm diligentes!) diſertè fatentur, *ſe quo ordine & quibus disputationibus in Synodo R. proceſſum ſit, quomodo denique utraque pars cauſſam egerit, & defenderit, explicatum nusquam legiſſe.* Nos nihilominus tamen ea, quæ ſparſim de utroque extant, in unũ colligere & ὡς ἐν τύπῳ proponere conabimur; initiô à Carthaginienſi factô.

De primo concilio Novatianis oppoſito, Cuius conſideratur 1 tempus.

XXXVII. Hîc (1) ſeſe conſiderandum offert *tempus*; quando ſcilicet concilium iſthoc habitum. Equidem non in ipſa perſecutione, ſed illâ ſopitâ & pace eccleſiæ redditâ demum inſtitutum, & quidem poſt Cypriani è ſeceſſu reditum, manifeſtum eſt ex ipſis Cypriani verbis infrà citandis, nec à quoquam in dubium vocatur, at in quem annum inciderit, non eadem omnium ſententia eſt. Communiter ei annum epochæ noſtræ, CCLIV aſſignant. Sic Baronius ad dictum ann. quem ſequuntur Binius, Fr. Longus, & ex noſtris Dn. Horneius compend. hiſt. eccleſ. lib. 3, cap. 3. Diſſentit autem Pamelius in vitâ Cyprian. ubi oſtendit, quod explicatu longè difficillimum ſit, quo anno Cyprianus ad Epiſcopatum pervenerit, tandem verò ita calculum ponit, ut annus à Chriſto nato CCXLIX emergat. Hinc porrò colligit, quod anno ſequente quinquageſimo propter perſecutionem, mandato divinitus accepto, ab eccleſia ſeceſſerit; redierit autem anno CCLII ſtatim poſt Paſchæ feſtum, atque tunc ſine mora conciliando Eccleſiæ ſchiſmati omnem navârit operam, imprimis Carthagini concilio indicendo. Nos hîc ſuum cuique iudicium permittimus. Neque enim in tricis illis expediendis, quippe ad propoſitum noſtrum parum facientibus, immorari licet. (2) *De loco concilii* in genere quidem dicit Cyprianus in Africa fuiſſe, ſed certæ alicuius civitatis ſpecialiter non meminit, vero tamen ſimilimum eſt, Carthagini fuiſſe, cùm, quod eius Epiſcopus totius Africæ primas eſſet, tum quod etiam antehac concilia ibidem

celebra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

celebrata fuerant. Non enim hoc, de quo nunc agimus, omnium Carthaginienſium conciliorum primum fuit, ſed ante illud etiam alia ibi habita fuêre. Confer Cyprian. epiſt. 55. Quando autem à ſcriptoribus primum vocatur, eſt id de ſubiecta materia intelligendum, nempe primum fuit in cauſſa lapſorum ab ipſo Cypriano celebratum. Porrò de ſitu Carthaginis & rebus alioquin ibi præclariſſimè geſtis conſulantur Geographi & Hiſtorici civiles. Illud nobis obſervandum putamus, univerſam Africam fuiſſe in ſex provincias diviſam, quarum una fuit ipſa Carthago, celeberrima Eccleſiæ ſedes. *Novimus*, inquit Romanus clerus ep. 30 ad Cypr. *Carthaginienſis Eccleſiæ fidem, novimus inſtitutionem, novimus humilitatem* &c. De ambitu eius ait ipſe Cyprian. epiſt. 45: *Latius fuſa eſt noſtra provincia, habet etiam Numidiam & Mauritanias duas ſibi cohærentes.* Ubi Pamelius: *Per omnem Africam provinciæ ſex factæ ſunt (inquit Sextus Rufus) ipſa ubi Carthago, eſt Proconſularis, Numidia conſularis, Bizacena, Tripolis & Mauritaniæ duæ, Sitiphenſis ac Cæſarienſis. Quot autem erant Provinciæ, totidem erant in Africa Primatus ſive primæ ſedis Epiſcopi. Horum omnium primus erat Epiſcopus Carthaginienſis & apud illum ſumma erat poteſtas in creationibus Epiſcoporum, quos vellet per Africam* &c. Confer eund. præfat. in Concil. Carthag. de rebaptiz. hæret. & M. Ant. de Domin. ex Auguſtino Carthaginenſem Eccleſiam cum Romana conferentem, de Republ. Eccleſ. lib. 2, cap. 6, num. 13, & l. 4, cap. 8, num. 27, pag. 433.

Carthaginienſis Eccleſ. amplitudo.

XXXVIII. (3) *Cauſſa impulſiva*, item *obiectum* concilii fuit controverſia de pœnitentia lapſorum à Novatiano excitata, quam hîc repetere nihil attinet, cum in ſuperiore ſectione latè deducta ſit. (4) *cauſſa efficiens* convocationis concilii & autor fuit S. Cyprianus Carthaginienſium, ut iam ſæpè dictum, Epiſcopus. Id uti ex Cypriani epiſtolis liquet, ſic ab ipſis Pontificiis cæteroquin omnia ad Romanum Papam referentibus conceditur. Equidem in epigraphe concilii dicit Binius, quod *ſub Cornelio* E. R. & Franc. Longus quod *tempore Cornelii Papæ* habitum ſit, ne fortè nihil Romano Pontifici in hoc negotio tribuere videantur, poſtea tamen fatentur, quod *Cypriano Epiſcopo autore* convocatum fuerit. Cæterùm non inficiamur, id precariò & extra ordinem à Cypriano factum eſſe, nempe in defectu Ἀρχιτέκτονος Magiſtratus, ad cuius Epiſcopen externam cura convocatrix pertinet, in ſubditos cum imperio,

3. cauſſa impulſiva.

4. cauſſa efficiens.

Externa cura cogēdi concilii

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

ad ſummũ Magiſtratum civilem pertinet. in alios extra ſuum territorium poſitos cum comitate. Nihil impediiſſet, quin tunc temporis, imperium tenentes Gallus & Voluſianus iure ſuo coëgiſſent concilium, ac id præſtitiſſent, quod Cyrus in reditu Iudæorum procurando Nehem. 2, 6; quod Felix & Feſtus in iudicio D. Pauli, Act. 24 & 25 potuêre. At quia tunc eccleſia preſſa ſanguinem ſudavit, fecit, quod potuit, & quod ad conſervationem ſui neceſſarium videbatur. Vide celeberrimos illuſtris huius Academiæ Doctores, Dnn. Dorſchéum & Dannhavverum, Dominos & Præceptores meos ſingulari cultu proſequendos; hunc cum alibi tum in Chriſt. Act. 1, opt. Dram. Theatr. 3, Phœn. 3, pag. 651, & Hodoſoph. pag. 127; illum in Collat. ad Concil. Francofurt. ſect. 3, cap. 1, notat. 1 & 2, & Collat. ad Concil Sirmienſ. ſect. 3, cap. 2, p. 119; iunge etiam alia Eius ſcripta ibidem citata, nec non Dn. Hopffner. Evang. Saxon. ſect. 3, part. 1, cap. 11, Dn. Calixt. Exercit. de hæreſ. Neſtorian. §. 88. Cl. H. Conring. disput. de iure Maieſt. circa ſacra à n. 25. ad 50. Sibr. Lubert. de Concil. lib. 1, cap. 2, 3, 4. & lib. 2, c. 4, 5. Io. Croc. Anti-Becan. Tom. 1, controverſ. 4, ſect. 16, pag. 604 ſeqq. M. Anton. de Domin. lib. 6, c. 5, tot.

5, inquiritur, quinã ad Concil. vocati fuerint? XXXIX. (5) Inquirendum, *quinam ad hoc concilium vocati* fuerint, aut in eo conſederint. Adverſarii, ut conſtat, omnes Chriſtianos in Clericos & Laicos diſtribuunt, illos in Prælatos & & non-Prælatos. Ex his docent ſolos Prælatos maiores, i. e. Epiſcopos ad concilia vocandos eſſe. Non gravabimur hîc audire, quæ Fr. Longus à Coriol, diſſerit in ſumm. Concil. prælud: IV, ibi: *Sententia hæreticorum noſtri temporis eſt, ad concilium ex omni genere hominum debere intereſſe eos, qui eruditi ſunt.* Poſt pauca: *Catholicorum verò ſententia eſt, ſolos Prælatos maiores, eosque omnes, i. e. Epiſcopos in conciliis Generalibus & Provincialibus habere ius ſuffragii deciſivi ordinariè, ex privilegio autem & conſuetudine etiam Cardinales, Abbates & Generales ordinum, licet Epiſcopi non ſint: ex presbyteris autem & aliis Clericis minoribus, tantùm vocari aliquos viros doctos, qui iuvent in diſputando, vel aliis miniſteriis. Denique ex privatis Laicis tantùm vocari aliquos, qui videantur utiles vel neceſſarii ad aliquod miniſterium Concilii. Hæc ſententia quod ſit Catholicorum, patet ex praxi concilii Tridentini &c.*

Pontificiorum circa hoc caput ſententia

falſa eſt et antiquiſſimi noſtri concil. Quænam verè Catholicorum ſententia ſit & quid hic reprehendant alibi exponitur. At quàm falſum ſit, *SOLOS* Epiſcopos in conciliis non ſolùm Generalibus ſed & Provincialibus habere ius

re ius ſuffragii deciſivi (ſubintellige deciſione in punctis fidei miniſteriali & diaconica) excluſis cæteris ex omni ſtatu ſpiritualibus & ſacrarum ſcripturarum peritis, quàm denique illa concilii Tridentini praxis antiquiſſimorum conciliorum indoli contraria ſit, ex hoc noſtro ad oculum patebit. *praxi contrari.*

XL. Quinam ergò concilio interfuêre? Cyprianus eius Præſes id paucis explicat epiſtola ad Antonian. Numidiæ Fpiſcop. quæ eſt LII, ibi: *Secundum quod antè fuerat deſtinatum, perſecutione ſopitâ, cum data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epiſcoporum numerus, quos integros & incolumes fides ſua & Domini tutela protexit, in unum convenimus.* Cætera deinde adducemus. Dicit copioſum EPISCOPORVM numerum. Quod certè non eſt eo ſenſu capiendum, quaſi ſoli Epiſcopi ad concilium cum poteſtate voti deciſivi admiſſi fuerint. Eſt enim Cypriano ſolenne, ut omnes, qui eiusmodi ſacro negotio ſuam operam commodarunt, uno Epiſcoporum nomine comprehendat. Sic in eadem hac epiſtola commemorans, etiam Cornelium Romæ concilium aliquod celebraſſe, ſolos coepiſcopos nominat; cum tamen ex Euſebio conſtet, etiam presbyteros & diaconos ſuum habuiſſe votum, ut infra dicetur. Eodem modo hoc quoq; in loco Cyprianum intelligendum eſſe probatur ex Cypriano. Cum enim Feliciſſimus periculoſiſſimum ſuum dogma primùm proponeret, Cyprianus verò *præiudicare & rem communem ſibi ſoli vindicare* non auderet, hoc interea conſilii dedit: *Eccleſiæ pacem ſuſtinendam eſſe, deinde, ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, PRESBYTERIS, DIACONIS, CONFESSORIBVS pariter ac ſtantibus* (qui in fide perſtiterant) *LAICIS factâ, lapſorum rationem tractandam.* Locus ſupra num. 10 ex Romani Cleri idem approbantis reſcripto allegatus fuit, & in præſenti ad Antonian. epiſtol. ab ipſo Cyprian. repetitur; confer etiam epiſt. 14. Ex quibus primò conficitur, Presbyteris, Diaconis & cæteris fidelibus Laicis ius aliquod ferendi voti competere, alioquin Cyprianus cum tota Africa & omni Italiâ turpiter lapſus eſſet, quòd eorum etiam vota & ſententias audiendas dixerit. Itaque ſecundò, quemadmodum totum hoc negotium, perſecutione adhuc durante, non minus in Presbyterorum, Diaconorum, Confeſſorum (qui utique non omnes Epiſcopi fuerunt) & Laicorum, quàm Epiſcoporum congregationem & deciſionem delatum fuit; ſic deinde etiam, pace iam reſtituta, ab iisdem

Probatur, Concil. noſtro non Epiſcopos ſolùm, ſed & Presbyteros & Diaconos & Laicos interfuiſſe.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

dem non minus ac Epiſcopis pertractatũ fuiſſe, nemo ſine inſigni temeritate negaverit. Imò niſi nos omnia fallunt, idem hoc indicant Cypriani verba: *Secundum quod antè fuerat deſtinatum.* Et poſtea: *Scias me nihil leviter egiſſe, ſed ſecundum quod literis meis fueram antè complexus, omnia ad commune concilii noſtri conſilium distuliſſe.* Nempe ſecundum prius decretum, quo ſtatutum erat, ut cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus pariter ac ſtantibus laicis conſiliorum collatione factâ, lapſorum ratio tractaretur, iam etiam perſecutione ſopitâ & facultate in unum conveniendi conceſsâ, ab iisdem tractatum fuit. Et ne tergiverſeris, ſcribit diſertè epiſt. 55 poſt med. (pagin. 119, Presbyteros & Diaconos in concilio iudicaſſe & ſententiam tuliſſe.

Pamelii vana annotatio. Pamelii annot. ad epiſt. 31 non moramur; dicit, *annotandum venire, nusquam legi, laicis permiſſum fuiſſe in conciliis ſententiam dicere, imò ex hac Cypriani epiſtolâ conſtare, ſolis Epiſcopis id uſitatum*: at quomodo Cyprianus id ſolis Epiſcopis uſitatum dicit, quod etiam Presbyteris, Diaconis, & Laicis expreſsè tribuit? Manet igitur, concilium hoc non ex ſolis Epiſcopis ſed & Presbyteris, Diaconis & Laicis conſtitiſſe.

Quot in concilio conſederint. XLI. De *numero* ſive Clericorum ſive Laicorum nihil addit Cyprian. niſi hoc unum, quod *copioſus* fuerit. Minimùm omnes ex latiſſima Carthaginienſi viciniſque provinciis, excepto fortè uno Antoniano, qui erat Numidiæ Epiſcoporum unus, adfuerunt. De *qualitate* autem ſeu virtutibus dicit, quod *fides ſua & Domini tutela eos integros & incolumes protexerit*: Integri & incolumes fuerunt

Quales fuerint. Integri, 1, quoad fidem, 2, quoad vitam, 3, quoad animi moderationẽ. 4, quoad 8. literarũ peritiam, 5, quoad παῤῥησίαν.

quoad fidem & religionem, neque ſacrificarant, neque libellum acceperant. Integri *quoad vitam* & mores, ſimplices nim. & humiles, quales Chriſtus requirit Matth. 11, 25. *Novimus*, dicebant ſupra Roman. Clerus, *Eccleſiæ Carthagin. humilitatem.* Adhæc non fuerunt contentioſi ſed moderati & *ad temperamentum ſalubri moderatione librandum parati*; μὴ οἴνῳ πολλῷ προσέχοντες, μὴ αἰσχροκερδεῖς: Integri *quoad egregiam ſacrarum literarum peritiam.* Norant enim ſcripturas proferre, ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας καὶ ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν καὶ ἐπιστομίζειν, ἔχοντες τὸ μυστήριον τῆς πίστεως ἐν καθαρᾷ συνειδήσει. Integri etiam & incolumes *quoad* παῤῥησίαν, nullo votorum monopolio ligati. Ad eundem modum, quo in Concil. Carthag. alio de baptiz. hæret. apud Cyprian. pag 397, *nemo ſe Epiſcopum Epiſcopo-*

rum

rum conſtituens tyrannico terrore ad obſequendi neceßitatem Collegas *ſuos adigebat; ſed habebat omnis Epiſcopus pro licentiâ libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non poterat, quàm nec ipſe alterum iudicare.* Adeoque concilium hoc Chriſtianus conſeſſus fuit, non Catilinaria coniuratio; qualis ille congreſſus videri poſſet, de quo Petrus Suavis in ſua hiſt. pag. 179. memorat, *in eius Præſulibus non temerè repertum aliquem præcellentis doctrinæ laude inſignem. Leguleios fuiſſe aliquot, in iuris profeßione doctos, ſed religionis non adinodum intelligentes. Perpaucos Theologos, eosque eruditione infra vulgus Theologorum.* &c. in quo Cardinal. Lotharingius *apud omnes, quibuscum ei ſermo erat, qualibet occaſione iure merito conqueſtus eſt, concilio nullam eſſe libertatem,* apud eund. pag. 789 & 621 & alibi paſſim. Quos homines putas miſeriores eſſe nobis Chriſtianis, ſi credere teneremur, quicquid indocti iſti & ſæpè impii homines ſub anathemate credendum definiunt? Sed hæc in transcurſu.

Ideoque Concilium hoc verè Chriſtianus conſeſſus fuit, contrà, quàm Conc. Trident.

XLII. Notamus porrò, etiam ex ipſis adverſariis ad Concilium admiſſos fuiſſe. Ab una parte *ipſe Feliciſſimus ſchiſmatis Africani infelix autor; & quinq; illi presbyteri Carthaginenſes, fidei deſertores ac ſchiſmatis ſectarii; de quibus* Cyprian. *ep. 40, iam ante bis excommunicati; in hoc ſacro Epiſcoporum conventu, cauſſam ſuam acturi adſunt, audiuntur & demum tertio excommunicantur. Id aperte conſtat ex ep. Cypriani 52 & 55, item ex literis Synodicis ad Cornelium ſcriptis, quarum quidem S. Cyprian. epiſtol. 42 meminit, ſed iniuria temporum interciderunt.* Sic breviter Binius. Conf. Baron. ad ann. 254, n. 86. Ab alterâ Novatianâ parte Legati miſſi ſunt, Maximus Presbyter & cæteri ſupra dicti, qui ordinationem Novatiani Africanis ſignificarent, & literas illas, quarum n. 31 meminimus, offerrent: Denique Cornelium accuſarent, ab eo funditus everſam eſſe eccleſiam maximam, eiusque inaudita & non ferendâ in communicando Trophimo aliisque thurificatis licentiâ ad idololatriam feneſtras omnes & portas patefieri: nihil purum putumque in Eccleſia videri, eam eſſe ſocietate, congreſſu & conſuetudine lapſorũ infectam & inquinatam. Propterea eccleſiis Africis nullum poſthac cum Cornelio eſſe debere commercium &c. Hi cum in ſtatione (ſacro cœtu) invidioſis convitiis & clamoribus turbulentis proruerent & flagitarent, ut crimina, quæ ſe afferre ac probare dicebant,

Ipſi Adverſarii in Concil. præſentes fuêre.

Novatiani Legati Cornelium E. R. accuſant.

bant,

bant, publicè & à plebe recognoſcerentur, Cyprianus negavit ſuæ gravitati convenire, ut Collegam dilectum ventilari ultra famam ore maledico pateretur: quin potius certior redditus ex reditu Stephani & Pompeii Collegarum de bona Cornelii cauſsâ, ipſos ſtatim à communicatione ſua cohibendos cenſuit, refutatis interim ac retuſis, quæ obſtinatè & pertinaciter aſſerere tentabant. Sicut hæc omnia totidem ferè verbis Cyprianus ad Cornelium perſcribit epiſtol. 41, 42.

Sed à Cypriani cōmunicatione cohibentur.

6, Norma concilii.

XLIII. (6) *Norma concilii* fuit ipſa S. Scriptura, regula ad decidendas controverſias perſpicua, adæquata & ſufficiens. *In unum convenimus*, ait Cyprian. *& Scripturis diu ex utraq; parte prolatis temperamentum ſalubri moderatione libravimus.* Nimirum verè & rectè dixit Nic. Cuſanus de Concordant. Cathol. lib. 2, cap. 6, veterum conciliorum formam fuiſſe, ut *in medio congregationis loco ponerentur ſacra Euangelia. Vidit originalia & principia librorum & totius allegati capituli tenorem, ne ſyncopatè allegatus ſenſus, corruptè adductus fortè foret -- & ſecundum teſtimonia ſcripturarum decrevit Synodus.* Equidem in controverſia hac non modò à Cypriano ſed & Romano Clero *ad antiquam* ſeveritatem, antiquam fidem & diſciplinam antiquam, deinde etiam catholicæ eccleſiæ inſtitutionem & conſenſum provocatum fuit. Largimur etiam, quod proximè ſequentium ſeculorum Patres Novatianam hæreſin refutaturi eccleſiaſticæ antiquitatis conſenſum valde urgeant, nominatim S. Pacianus epiſt. 3 ad Sympron. Verùm non exiſtimandum, eos hoc ipſo Scripturæ ſive perſpicuitati ſive ſufficientiæ vel tantillum detraxiſſe. In iis enim, quæ *apertè* in Scripturà poſita ſunt, inveniuntur *illa omnia*, quæ continent fidem moresque vivendi. Cui axiomati Auguſtiniano ſubſcribit ipſe Pacianus: *Quis*, inquit l.c. *hoc* (Novatiani dogma) *vindicat Moſes? an Paulus, an Chriſtus?* quaſi diceret, omne dogma ex Moſe vel Chriſto N. T. probari poteſt & debet, ſin ſecus fiat, hæreticum eſt. Similiter Vincentius Lerin. Commonit. 1, cap. 2; *perfectus eſt ſcripturarum canon, ſibiq; ad omnia ſatis ſuperq; ſufficiens.* Et fragment. commonit. 2, *Divinus canon* SOLVS *ad univerſa ſufficit.* Sed inquis, ſi ſola Scriptura ad omnia ſatis ſuperque ſufficit, quid vel olim in hoc concilio vel etiamnum hodie opus eſt, ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ iungatur autoritas? Reſpondeo Dn. Præceptoris antea laudati verbis ex Collat. ad concil. Francof.

In Concil. etiam ad antiquitatem provocatū fuit.

Sed quare hoc?

ſect. 3,

ſect. 3, cap. 3, pag. 135: *Pulcrum eſt, iucundum eſt, utile eſt, imò propter adverſarios corruptæ imaginationis nonnunquam neceſſarium eſt, videre, quomodo doctrina I. C. ab ipſo & Apoſtolis prædicata ſeculis ſequentibus aliquot floruerit, & longè lateq́ propugnata fuerit in orbe terrarum. Teſtimonium iſtud hiſtoricum, ſi iungatur ſacrarum literarum autoritati, mirificè percellit adverſarios veritatis.* Dixi propter adverſarios aliquando *neceſſarium* eſſe, videre &c. quod certè non eſt eò rapiendum, quaſi ſimpliciter neceſſarium ſit, & adverſarii abſque antiquitatis ope revinci nullo modo poſſint; ſed ad facilius & expeditius revincendos. Quin, ut præclarè Vincentius docet l. c. cap. 39, *neq; ſemper, neq; omnes hæreſes hoc modo impugnandæ ſunt, ſed novitiæ recenteſq; tantummodo. - Inveteratæ verò & dilatatæ hæreſes, nequaquam hac viâ aggrediendæ, ſed ſolâ Scripturarum autoritate convincendæ ſunt.* Nempe etiamſi inveniri queant hæreſes, quæ antiquitate cum Doctoribus vel doctrinâ Eccleſiæ certent, quæ tamen divinæ autoritati Scripturarum, quibus doctrinam ſuam Eccleſia demonſtrat, cedere neceſſe non habeat, nulla invenitur. Conf. Dn. D. Calixt. procem. in Auguſtin. libb. de doctr. Chriſt. pag. 94, ſqq, & diſput. de Autorit. antiquit. Eccl. §. 3, ſqq. D. Hornei. Diſpp. Theolog. parte 1, diſp. 4, ſect. 2, num. 55 & 56. *Reſpond. verbis Dn. D. Dorſchei.*

XLIV. (7) *Modus determinationis.* Huc referimus diſputationes iuxta prædictam normam prius inſtitutas, quàm decretum fecerint. Denuò audienda Cypr. verba: *Scripturis* DIU EX UTRAQUE PARTE *prolatis temperamentum ſalubri moderatione libravimus.* Et iterum: *Scias me nihil leviter egiſſe, ſed ſecundum quod litteris meis fueram antè complexus omnia ad commune concilii noſtri conſilium diſtuliſſe.* Et rurſus epiſtola 51 ad Maximum cæteroſque Confeſſores ex ſchiſmate reverſos: DIU MULTUMQUE *tractatu inter nos habito iuſta moderatione agenda libravimus.* Itaque nihil inopinato & ex abrupto, nihil temerè & leviter, ſed prudenter omnia, præmiſſis crebris & diligentibus ζάσει ϰ̀ συζητήσει, deliberato & maturo conſilio, in hoc tanti momenti negotio, acta peracta fuerunt. Optandum, ut, quot ſeſſiones ſeu conſeſſus, quomodo quæquè diſceptata ac digeſta, quænam ad ſingulorum ſententias perſcrutandas colloquia inſtituta, quæ diſcurſiones, quæ diſputationes, quæ dicta, quæ facta, ac ut verbo dicam, quænam *Concilii acta* fuerint, plenè & definitè ſciremus! Profectò eſſet, unde longè uberrimam eorum, quæ pulcra, quæ iucunda, quæ utilia, imò pro- *7, Modus determinationis.*

pter adverſarios corruptæ imaginationis nonnunquam neceſſaria ſunt, meſſem metere liceret. Autor Hiſt. Concil. Trident. lib. 2, pag. 148, rectè dicit, *novitiam eſſe & antiquitus vix receptam, quæ Tridenti invaluit, opinionem, ut decreta tantummodò Acta ſint Concil. eaq; ſola publicum aſpiciant, cum apud veteres omnia omnibus communicarentur.* Sanè non Decretum ſolùm, ſed & reliqua huius concilii Acta omnia & ſingula accuratè literis conſignata & evulgata fuiſſe, non ſinunt nos dubitare expreſſa Cypriani verba ſupra n. 36 adducta, verùm, ut ibi dictum, temporis malignitas nobis ea ſurripuit.

8, Decretũ ipſum, lapſis pacem concedit, ſed certa lege & cõditione.

XLV. Denique (8) ſequitur *Decretum ipſum.* Cum ſic diu iuxta ſcripturas ex utraque parte prolatas deliberaſſent, tandem unanimi conſenſu mediam viam capientes definierunt, ut traheretur diu pœnitentia, & examinatis ſingulorum cauſis & caſibus ſecundum eorum lapſus differentiam, poſt præſcriptum tempus & modum pænitentiæ, in Eccleſiam reciperentur. Non pigrabimur ipſa Cypriani verba adſcribere: *Temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis & pacis lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent, & eo, quod ſibi Eccleſia clauderetur, ſecuti ſeculum genialiter viverent, nec tamen rurſus Cenſura Evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temerè proſilirent, ſed traheretur diu pœnitentia & rogaretur dolenter paterna clementia & examinarentur cauſſæ & voluntates & neceſſitates ſingulorum.* Et iterum epiſt. 51 ad Confeſſ. *Propter quod & nos temperamentum tenentes & libram Domini contemplantes & DEI Patris pietatem & miſericordiam cogitantes, diu multumq; tractatu inter nos habito, iuſta moderatione agenda libravimus; quæ omnia penitus poteſtis inſpicere, lectis libellis, quos hic nuper legeram, & ad vos quoque legendos pro communi dilectione tranſmiſeram, ubi lapſis nec cenſura deeſt, quæ increpet, nec medicina, quæ ſanet.* Hæc Cyprianus de Concilii decreto in genere; ad cuius diſtinctiorem intellectum tria conſideranda veniunt, 1, quomodo ſingulorum cauſſa examinata fuerit; 2, qualis hoc loco pœnitentia intelligatur, & 3, quomodo ſingulis pro ratione delicti vel productius vel contractius pœnitentiæ tempus præſcriptum fuerit. De ſingulis breviter.

XLVI. Examen potiſſimum hoc fuit, ut inquireretur, qualiter quisque lapſus eſſet, num ſacrificiis aut libellis, an verò pronâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

ſaltem ad defectionem cogitatione conſcientiam polluiſſet? Tres enim quaſi claſſes eorum, qui lapſi erant, Cyprianus conſtituit Tom. 2, lib. de lapſ. pag. 245. *Quanto*, ait, *& fide maiores & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitarunt, hoc ipſum apud Sacerdotes DEI dolenter confitentur.*

Lapſorum tres claſſes,

Prior claſſis fuit eorum, qui Diis ſacrificarant, aut thus adoleverant, vel quomodocunque cultum præſtiterant idolis, inde *ſacrificati, thurificati & idololatræ* appellabantur.

1, alii fuere ſacrificati & idololatræ.

De his Cyprianus loc. num. 8. citatô: *Non expectarunt ſaltem, ut interrogati negarent, ut thus accenderent apprehenſi, ante aciem multi victi, ſine congreſſione proſtrati, nec hoc ſibi reliquerunt, ut ſacrificare idolis viderentur inviti &c.* *Secunda* illorum, qui libellum acceperant.

2, alii libellatici,

Ubi tribus indicandum eſt, quid diſcrepent libelli lapſorum à libellis martyrum, (quorum num. 9 mentionem iniecimus) ne quis nominum affinitate falſus Cyprianum ſecus, quàm ſenſit, intelligat.

Quid diſcriminis inter libellos martyrũ,

De his tenendum, fuiſſe morem prorſus antiquum, ſicut ex Tertull. lib. de martyr. & de pudic. c. 22, conſtat, ut lapſi priusquam reconciliarentur eccleſiæ, ab Epiſcopis pro pace conſequenda mitterentur ad martyres & confeſſores, ut ab illis primò veniam peterent, in quos inverecundius deliquiſſent, dum fortiter confitentibus illis, ipſi ignaviter pugnaviſſent: Confeſſores viciſſim petentium deſideria ponderantes, pacem concederent, eamque libello à ſe ſubſcripto ſignatam ad Epiſcopum deſtinarent. Eiusmodi libelli exemplar extat inter Cypriani epiſtolas 17, ubi Lucianus nomine omnium Confesſorum Carthag. ad Cyprianum in hæc verba: *Scias, nos univerſis, de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe veniam & hanc formam per te & aliis Epiſcopis innoteſcere voluimus.* Tales erant Martyrum libelli; at ab illis multùm differebant lapſorum libelli.

et libellos lapſorum.

Illi enim ne cogerentur idola venerari, ſecuritatis libellum à Magiſtratu pretio ſibi comparabant; ſive libellus is tum demum ſit dari ſolitus, ubi quis vel ipſe vel per alium prius abnegaſſet Chriſtum, quæ Baronii ad ann. 253, num. 21, ſq;. eiusque epitomatoris Spondani ibid. num. 6, ſententia eſt: ſive, ut receptior fert opinio, nulla fuerit abnegatione opus; ſed ſolùm libello, quem pretio emebant à præfectis pecuniæ avidis. Poſterius contra Baron. defendit Albaspinæus Obſerv. lib. 1. obſ. 21. Confer Cl. Præceptores meos, D. Hornei. Compend. hiſt. Eccl. lib. 3, c. 5. §. 9, ſeqq; &

D. Dann-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

D. Dannhavver. Chriſt. p. 421. Forma libelli reperitur in prolixiori illa & ſæpius laudata epiſt. ad Antonian. *Ego prius legeram & Epiſcopo tractante cognoveram non ſacrificandum idolis, nec ſimulacra ſervum DEI adorare debere: & iccirco ne hoc facerem, quod non licebat (cum occaſio libelli fuiſſet oblata, quem nec ipſe acciperem, niſi oſtenſa fuiſſet occaſio) ad magiſtratum vel veni, vel alio eunte mandavi: Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc præmium, ne, quod non licet, faciam.* Qui huiusmodi libellum acceperant, *Libellatici* inſigniebantur. *Tertiam* claſſem illi faciebant, qui quidem re ipſa nullo ſive ſacrificii ſive libelli facinore ſe conſtrinxerant, ſed tamen de conſtringendo cogitaverant: poſſent *nutantes* appellari. Præter hos etiam aliud quoddam lapſorum genus fuit, quos *Traditores* nuncuparunt. Illi erant inſtabiles Epiſcopi, qui iubentibus ethnicis ſacrum codicem exuſſerant, vel comburendum tradiderant; ut ſcribit Optat. Milevitanus lib. 1, de Donatiſt. adverſ. Parmen. Bibl. Patr. edit. 4, Tom. 4, pag. 271. Horum Auguſtin. contra Donat. crebrò, Cyprianus nunquam vel rarò meminit.

3, alii nutantes.

Traditores quinam.

XLVII. Magnum verò inter hoſce diſcrimen eſſe; & ſacrificatos quidem admiſſi criminis gravitate longè præponderare libellaticis, & hos viciſſim nutantibus, facilè patet. Lubet de hoc iterum Cyprianum audire: *Nec tu exiſtimes*, ſcribit ad Antonian. *ſicut quibusdam videtur, libellaticos cum ſacrificatis æquari oportere; quando inter ipſos etiam, qui ſacrificaverint, & conditio frequenter & cauſa diverſa ſit.* Neq; *enim æquandi ſunt, ille, qui ad ſacrificium nefandum ſtatim voluntate proſilivit, & qui reluctatus & congreſſus diu ad hoc funeſtum opus neceſſitate pervenit: ille, qui & ſe & omnes ſuos prodidit; & qui ipſe pro cunctis ad diſcrimen accedens uxorem & liberos & domum totam periculi ſui perfunctione protexit.* Paucis interiectis: *Cum ergo inter ipſos, qui ſacrificarint, multa ſit diverſitas; quæ inclementia eſt, & quam acerba duritia libellaticos cum iis, qui ſacrificaverint, iungere?* Ex hiſce abundè liquet, ſacrificatorum alios aliis, ſingulos verò libellaticis; hos denique nutantibus deteriores fuiſſe. Hoc primum.

Magnum inter lapſos diſcrimen.

XLVIII. Quod ſecundum attinet, intelligitur hoc loco pœnitentia publica cum canonicis ſatisfactionib. coniuncta, quam pluribus perſequitur Chemnitius part. 4, Exam. p. m. 103; ubi

Secundò, qualis h. l. pænitentia intelligatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

oſtendit, veterum Eccleſiam eos, qui in perſecutione vel fidem Chriſti abnegaſſent; vel idolis ſacrificaſſent, vel in hæreſin incidiſſent, vel in alia gravia & manifeſta flagitia lapſi eſſent, non leviter aut ſtatim ad primam pœnitentiæ ſignificationem in Eccleſiam recepiſſe & ad communionem admiſiſſe, ſed pro publicis criminibus publicam etiam ſive in publico agi volebant pœnitentiam. *Veteris eccleſiæ ſatisfactiones.* Et ad publicam illam pœnitentiam adhibebant varios externos ritus: partim ut Eccleſia ſuam ſollicitudinem, purgationem, indignationem, timorem, deſiderium, æmulationem & vindictam erga publica, notoria & gravia crimina oſtenderet: partim ut & ipſi pœnitentes publicis, manifeſtis, externis & viſibilibus ſignis ac teſtimoniis dolorem animi ſui de peccato, fidem ſuam ſeriò quærentem reconciliationem, ac propoſitum & ſtudium emendationis toti eccleſiæ oſtenderent, & teſtatam facerent. Ritus illos publ. pœnitentiæ Græci ἐπιτίμια καὶ τιμωρίας h. e. caſtigationes, pœnas ſeu mulctas Eccleſiaſticas vel canonicas; Latini verò ſatisfactiones vocarunt. Vide nuperum Tractat. Ioh. Dallæi de pœnis & ſatisfact. human. lib. 7, cap. 3, & 4. Quales autem illi ritus fuerint, ex variis ſcriptoribus inibi pluribus deſcribit Chemnitius. Nobis iam ſufficit ex Gregor. Neo-Cæſarienſ. aliàs Thaumaturgi, qui floruit circa ann. CCXXXIII, epiſtolâ canonicâ canone ult. edit. Paris. pag. 41, indicaſſe, quatuor pœnitentium loca fuiſſe. *Ritus publ. pœnitētiæ ex Thaumaturgo deſcribuntur.* 1, ἡ πρόκλαυσις, *fletus* ſeu luctus, ἔξω τῆς πύλης τοῦ εὐκτηρίου, locus extra portam oratorii, ubi peccatorem oportebat fideles ingredientes orare, ut pro ſe precarentur. 2, ἀκρόασις, ἔνδοθι τῆς πύλης ἐν τῷ νάρθηκι. ἔνθα ἑστάναι χρὴ τὸν ἡμαρτηκότα. ἕως τῶν κατηχουμένων, καὶ ἐντεῦθεν ἐξέρχεσθαι. *Auditio* intra portam, in loco quem νάρθηκα i. e. ferulam appellabant. Ubi oportebat eum, qui peccarat, ſtare poſt catechumenos, usque ad catechumenos, & illinc egredi, i. e. poſt verbi auſcultationem tanquam precibus faciendis ineptus eiiciebatur. 3, ἡ ὑπόπτωσις, ἵνα ἔσωθεν τῆς πύλης τοῦ ναοῦ ἱστάμενος, μετὰ τῶν κατηχουμένων ἐξέρχηται. *Subiectio* ſeu ſubſtratio, aut humiliatio, ubi intra templi portam circa catechumenos ſtabat peccator, precum Eccleſiæ particeps, cumque catechumenis ante Sacramentorum diſtributionem exibat. 4. ἡ σύστασις, ἵνα συνίσταται τοῖς πιστοῖς, καὶ μὴ ἐξέρχηται μετὰ τῶν κατηχουμένων. Congregatio ſeu *conſiſtentia*, ubi pœnitens circa fideles conſiſtebat, & dum Sacramenta adminiſtrarentur, permanebat, non-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

dum verò ipſe eorum compos reddebatur. Hunc 5, denique excipiebat ἡ μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων, ipſa Sacramentorum participatio; (cuius quaſi complementum erat manus impoſitio, tàm à diacono quam presbytero peragi ſolita. Cypr. epiſt. 13) Hæc ex Thaumaturgo, ſeculo tertio.

Quid ſeculo quinto de iis Socrates notaverit.

XLIX. Seculo quinto Sozomenus lib. 7, c. 16, & Nicephor. Calliſt. lib 12, cap. 28, ita de hoc ſcribunt: *In Occidentalibus eccleſiis ad hunc usque diem obtinet*; (Canon de pœnitentiæ ceremoniis) *atq; in Romana maximè, ubi quoque certus eſt pœnitentium locus. Stant illi perinde atque iudicio damnati eſſent, vultu demiſſo, admodum lugentes. Re autem divina peracta, illi quidem ea ſacra non percipiunt, quæ eis percipere fas eſt, qui ſacris ſunt operati. Cum eiulatu autem & luctu multo & ad pedes eius qui rem divinam fecit, præcipitant. Directus deinde, qui tum miniſterium ceremoniæ eius ſortitus eſt, ad eos accurrit: atque ibidem lacrymans, & humi ſternit. Tum reliqua Eccleſiæ multitudo circumſiſtens & ipſa flens atque lamentans lacrymis repletur. Poſtea primus exurgit ſeu presbyter ſeu Epiſcopus, & illos ita iacentes ſurgere iubet, & per orationem ea, quæ pœnitentibus conveniunt, precatus, ubi & audivit & dixit, quæ opus eſt, eos amittit. Atque illi pro ſe quisque ſegregati ſuo loco, pro eo atque eis iniunctum eſt, ſe macerant, vel ieiuniis, vel vigiliis, frequentibusque precib. & reſipiſcentia, vel illuvie, & deliciarum abſtinentia, vel aliis etiam modis, conſtitutum ſibi ab Epiſcopo tempus quilibet expectans. Atque ubi ad hunc modum alacritate libenti debitum perſolvit, à crimine abſolvitur: & ſimul cum aliis in eccleſia, eodem iure & communione eadem, conventus frequentat. Hunc ritum iam inde ab initio ad hoc usque tempus Romani Epiſcopi habuere, qui ab eis inde ad eccleſias alias omnes pervenit, præterquam ad Novatianos, qui pœnitentiam prorſus non receperunt.* Hæc rectè Nicephorus de ritibus R. Eccleſiæ circa pœnitentes obſervari ſolitis.

Nicephorus notatur.

Non poteſt autem placere, quod initio capitis ſcribit, *ritus hoſce propter Novatianos inſtitutos eſſe, quum communicare illi cum eis nollent, qui ſub Decii perſecutione fidem abnegarant, & poſtea reſipiſcentes ad eam redierant.* Conſtat enim ex Tertulliano, Thaumaturgo, aliisque Novatiano antiquioribus, ritus iſtos obtinuiſſe, antequam Novatiana hæreſis in mundum veniret; imò, ut docti obſervant, propter illam ipſam de priſtina eorum ſeveritate nonnihil remiſſum eſſe; confer inf. num. 51; quomodo ergo ob eam inventi ſint? Pluribus hac de re præter cit.

Dn. Chem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

Dn.Chemnit.agunt Magdeb.cent. 3, cap.6, pag.127 ſeqq. Iſ. Caſaubon. Exercitat.16.ad annal.Baron.n.43,p.397; & omnium copioſiſſimè Forbſius op.cit.lib.12,c.5,6. Albaſp.obſ.l.2,obſ.22,23,24,25. Unū adhuc notamus: Quemadmodum non omnes pœnitentes ad omnes & ſingulos publ.pœnitentiæ ſive ritus ſive gradus condemnabantur, ſed alii ad hunc, alii ad illum, pro ratione criminum ab ipſis commiſſorum; ita etiam pœnitentiæ tempus incipiebat ac deſinebat, citius tardiusve pro rei exigentia; quidam diutius, quidam minus diu in eiusmodi exercitiis perſiſtebant. Determinatio verò, quamdiu ſcilicet & quantum lapſi pœnitere cogerentur, penes Doctores Eccleſiæ & martyres fuit, qui inſpectis peccatorum generibus, pœnitendi cuique pro ſui peccati qualitate tempus irrogabant aliis longius, brevius aliis. De hoc Ancyran. Concil. can.5: *Epiſcopum hanc habere licentiam oportet, ut perſpecta ſingulorum converſatione, humanius agens ſecundum vitæ modum, tempus pœnitentiæ alicui breviet, aut etiam prolixius, quoad correctioni neceſſarium viderit, addat.* Similiter Nicæni Conc. Canon XI. Sic aliis ad annum, biennium, triennium, decennium, imò viceſimum usque annum Sacramentorum participatio ſubtracta; uti ex Baſilii M. epiſtolâ canonicâ ad Amphiloch. unâ cum expoſitione Io. Zonaræ ſubiunctâ operibus Thaumat. edit. Pariſ. can.22,56,57,58,59,75 manifeſtum eſt; aliis ad finem vitæ pœnitentia impoſita fuit, ut in exitu tandem communionem adipiſcerentur; aliis denique ne in exitu quidem collata fuit, uti ſupra num 29 innuimus. Sic concil. Elibertinum Provinc. in Hiſpania circa magni Nicæni Concil. tempora celebratum can. 1, *Placuit, ut quicunq; poſt fidem baptiſmi ſalutaris, adulta ætate ad templum idoli idolatraturus acceſſerit & fecerit, quod eſt crimen capitale, ne in fine eum ad communionem ſuſcipere.* Non aliter can. 2,6,7,8,12,17. Simile quid ſanxit Concil. Arelatenſe eodem tempore habitum, de apoſtatis can. ult. Iſtum tamen rigorem, poſtea ſuſtulit œcumenica Synodus Nicæna cân. 13 his verbis: καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς ὅτινος ὂν ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος τοῦ μεταχεῖν εὐχαριστίας, ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω. *Univerſaliter autem, & omni cuicunque in exitu poſito, & participationem communionis petenti, Epiſcopus cum exploratione det.*

Determinatio tẽporis in publ. pœnitentiâ abſolvendi penes Doctores eccleſiæ fuit.

Rigor Elibertanorum canonum

tollitur à Synod. Nicenâ.

L. Iam tertiò breviter explicandum, quamdiu noſtrum concilium ſingula lapſorum genera hiſce publicæ pœnitentiæ ſpectacu-

Tertiò, quantum temporis hoc noſtrũ

 lis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

Conc. ſingulis lapſorum generib. præſcripſerit. Quid de nutàntib. ſtatuerit.

lis exerceri voluerit. De *nutantibus* nihil horum ſtatuit. Sed quemadmodum ſecretis ſaltem cogitationibus deliquerant,ita ut ſoliDeo peccata confeſſi interiorem duntaxat pœnitentiam agerent,permiſit. Nihilo ſecius tamen Cyprianus cohortationibus ſuis apud populum inſtitit,ut pro occultis etiam,item pro parvis & modicis peccatis publicam exomologeſin & uſitatas tunc ſatisfactiones in ſe reciperent. Multi illis exhortationibus moti, ultrò, quæ tacitâ ſecum mente volverant, Sacerdotibus primùm indicarunt, & poſtea publicæ confeſſioni ac pœnitentiæ ſe ſponte ſubiecerunt. Id declarat Cyprianus l. c. *Quanto*, ait, *& fide maiores & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt.* Vbi, licet brevitati ſtudeamus, non poſſumus tamen, quin Pamelio h.l. intempeſtivè commentanti, *Confeſſionem ſecretorum peccatorum apud Sacerdotes, non novitiam, ſed iam olim uſitatam eſſe*, opponamus notabilem Chemnitii annotationem ex part. 2. Exam. pag. m. 346. *Audis*, inquit, *non fuiſſe vel præceptum neceſſarium, vel conſuetudinem univerſalem? Dicit enim, fuiſſe exempla quorundam, qui fide maiore & timore meliore erant. Non igitur omnes hoc fecerunt, nec damnati fuerunt illi, qui ſoli Deo talia confeſſi ſunt. Sed tamen talia exempla cœperunt aliis commendari, & ad imitationem proponi. Obſervet autem Lector, Cyprianum ibi non loqui de omnibus, ſingulis & quibusvis peccatis cogitationum & voluntatis Sacerdoti confitendis, ſed diſertè explicat, illa ſe intelligere, quæ de publicis criminibus perpetrandis, voluntate concepta fuerant, ut de propoſito abnegationis in perſecutione. Pertinent igitur & hæ ſententiæ ad publicam pœnitentiam & publica crimina, nec ſunt generalia dogmata de quibusvis occultis peccatis, Sacerdoti confitendis, quorum renati ſe reos eſſe agnoſcunt coram Deo.* Confer eund. part. 4, p. 107.

Cyprianus à Pamelio malè expoſitus vindicatur.

Quid Libellaticis iniunxerit,

LI. De *libellaticis* nihil certi invenitur. Equidem dubium non eſt, peculiare aliquod de iis caput formatum fuiſſe, continens definitum temporis ſpatium, quamdiu ſcilicet pub. illam pœnitentiam ſuſtinere deberent, ſed hoc cum cæteris Synodi capitibus, quorum ſupra mentio facta, interiit. Hoc tamen certò affirmare licet, eos, quippe qui minus deliquiſſent, mitius tractatos, & cum ſacrifi-

catis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

catis non unâ eâdemque mulctâ damnatos fuiſſe. Id rectè colligi putamus ex Cyprian.ad Anton.pag.99: *Placuit, frater cariſſime, examinatis cauſis ſingulorum, libellaticos interim admitti, ſacrificatis in exitu ſubveniri.* Ex quibus porrò elucet quid de *ſacrificatis* aut *thurificatis* decretum fuerit, nempe, quod eos ſigillatim petant verba decreti, quibus iubetur, *ut diu pœnitentia trahatur,* hoc eſt, ut Cyprianus ipſe exponit, demum *in vitæ exitu iis ſubveniatur.* Quod certè, non tam pœna quàm ingens beneficium fuit. Cum enim anterioribus annis ante Cornelii & Cypriani tempora Eccleſiæ adeò dura ſeveraque fuiſſet diſciplina, ut apoſtatis ne in morte quidem, cum extremum vitæ ſpiritum profunderent, abſolutionem impertirent, adeoq; preces ſupplices lacrumasque hominis in ſummum vitæ diſcrimen adducti, cum eius ex hoc corporis ergaſtulo anima eruptura eſſet, ita deſpiceret eccleſia, ut ei ſummoperè contendenti, ipſa non largiretur, quod horno die non efflagitantibus, & propè recuſantibus offert; magni ſanè muneris loco habendum fuit, quod Chartag. Concilium de ſummo hoc rigore multum remitteret, & ſic *temperamentum ſalubri moderatione libraret,* ut ſpes communicationis & pacis iis non in totum denegaretur. Quod ſi primorum temporum mos tuliſſet, ut lapſi ad pœnitentiam liberè admitterentur, ſtatutum concilii non ſalubri moderatione libratum, ſed longè acerbiſſimâ acceſſione priorum temporum aſperitas cumulata fuiſſet, & ad lapſorum animos irritandos laceſſendosque magis, quàm ad mitigandos feciſſet. Sed iam per noviſſimum concilium maximæ ſpei compotes effecti, iniunctam pœnitentiam patienter ſuscipiebant, ſalus eorum deſperata deplorataque cum non eſſet, libro ſolutoque animo pœnitentiæ remedio utebātur, nec mortem pertimeſcebant, cuius improviſo impetu caſuque intercepti communione privarentur. Idem Concilii decretum Cyprianus aliâ ad Cornel. epiſtolâ, quæ eſt 54, pluribus & expreſſioribus verbis explanat, ibi: *Statueramus quidem iam pridem, frater cariſſime, participato invicem nobiscum conſilio, ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab adverſario & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu pœnitentiam plenam & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent.* Ubi quidem per *plenam pœnitentiam* alii eam intelligi putant, quæ toto tempore ducitur, quod ab Epiſcopo decretum eſt; ſecundum alios is plenam pœnitentiam peregit, qui totum tempus

Quid de ſacrificatis.

Quid Cypriano plena *pœnitentia notet.*

& per

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

& per ſingulos gradus decurrit; nos cum doctiſſimo Albaspin. l. 2, obſ.30, eam remur plenam eſſe, non tam quæ conceſſo tempore, & per gradus pergit ad veniam, quàm quæ bona fide fit: nam qui animo verè dolenti exomologeſeos actus complectitur, & ut ait Cyprianus, lacrymis, gemitibus, fletibus dolentis ac verè pœnitentis animi ſigna prodiderit, is plenam pœnitentiam cenſetur facere. Et quis unquam de re, quæ certo tempore includitur & perficitur, congruè diceret, eam diu agendam eſſe, quaſi diutius ea ipſa fieri poſſit aut durare, quam præſcriptum eſſet? Ut ergo hæc omnia colligamus, dicimus, *ſacrificatorum pœnitentiam ordinariè ad ipſam usque mortem protractam fuiſſe*. Exemplum huius rei de Serapione, ſacrificato quodam, quomodo eum in ſupremâ horâ ac ultimo mortis ictu Presbyter, & ipſe ægrotus, abſolverit per puerum miſsâ euchariſtiâ, non ſine admiratione legeris apud Euſeb. lib. 6, cap. 43. Cæterùm non ignoramus, extraordinariè etiam hanc decreti aſperitatem non raró per aliquam moderationem, relaxationem, ſeu remiſſionem, ſive ut Pontificii vocabulo veteribus ignoto vocant, per aliquam indulgentiam mitigatam eſſe. Sæpè enim, etiam citra caſum mortis prævenientis terminum abſolutæ ſatisfactionis, exhibitis & perſpectis ſufficientibus veri doloris & ſeriæ reſipiſcentiæ documentis, ad interceſſionem fidelium, Martyrumque vel de iniunctis multis aliquid remittebatur, vel ante completum pœnitentiæ tempus in canonibus præſcriptum reconciliabantur. Exemplo ſint Ninus, Clementianus & Florus, ſine omni dubio non libellatici ſed ſacrificati; illis licet plurium annorum pœnitentia vigore canonis præſcripta eſſet, nihilo ſecius tamen editis ſeriæ reſipiſcentiæ ſpeciminibus poſt triennium abſoluti ſunt. De illis Cyprian. ad Fortunat. epiſtol 53: *Exiſtimamus ad deprecandam clementiam Domini poſſe ſufficere, quod triennio iugiter ac dolenter, ut ſcribitis, cum ſumma pœnitentiæ lamentatione planxerunt.*

Sacrificatorum pœnitentia ordinariè *ad ipſam usq; mortē protracta fuit.* Extraordinariè *autē non raró ad brevius tempus reducta.*

LII. Hæc pauló fuſius de primô Conciliô contra Novatiani impium errorem inſtitutô; cuius decreti ſumma: *Ut lapſi omnes & ſinguli ad eccleſiā revertentes, ſi impoſitam ſibi pœnitentiam adimpleant, recipiantur; illis verò, qui propter ægritudinem pœnitentiæ curriculum abſolvere non poſſint, ſub ipſum vitæ exitum pax concedatur.* Progredimur iam ad alterum, ROMANUM videlicet, in quo idem illud contra Novatianos definitum.

Decretum Concilii repetitur.

LIII. De

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

LIII. De hoc iterum Cyprianus dictâ epiſt. ad Anton. *Si minus*, inquit, *ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium collegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis coepiſcopis habito concilio, in eandem nobiscum ſententiam pari gravitate & ſalubri moderatione conſenſit.* Idem plenius deſcribit Euſebius hiſt. Eccl. lib. 6, cap. 42. Ubi tamen non neſcimus Baronium ad ann. 254, num. 90, ſentire, Concilium hoc de reſtitutione lapſorum Romæ ſub Cornelio habitum, de quo Cyprianus loco iam iam citato loquitur, diverſum planè ab illo eſſe, cuius Euſebius l. d. meminit. Hunc ſequuti Binius, Fr. Longus à Coriol. & nonnulli alii, duo hîc diſtincta concilia conſtituunt. Sed hæc Baronii ſententia & rei geſtæ veritas parum inter ſe congruere videntur. Nam quod dicit *in priore hoc* (de quo Cyprianus agit) *nihil actum fuiſſe contra Novatianum, ſed de eo in poſteriore* (quod Euſebius recenſet) *tractatum*; id verò principium petit. Magis placet Pamelii opinio, qui in vitâ Cypriani hæc habet: *Conſentit in hanc ipſam ſententiam* (Concilii Carthaginienſis) *paulò poſt & Cornelius, habito Romæ concilio, quod loco citato* (l. 6, c. 42.) *Euſebius celeberrimum fuiſſe dicit. Ubi tum Novatianus cum factione Novati & Feliciſſimi ab Eccleſia pulſus eſt, tum lapſorum ratio (eodem Euſebio teſte) pertractata; ut conſtare videatur non duo tunc Romæ concilia ſed UNUM idemque fuiſſe, quod & de lapſis & contra Novatianum indictum fuerit.* Conf. Carranzam, qui etiam unius tantùm concilii ſub Cornelio in cauſſa lapſorum celebrati meminit. *Affirm.*

LIV. Audiamus ergo Euſebium: *Novatus* (Novatianus) ait, *Romanæ Eccleſiæ Presbyter ſuperbia contra lapſos inflatus, quaſi nulla illis reliqua ſit ſalutis ſpes, etiamſi cuncta ad ſinceram converſionem & puram confeſſionem pertinentia perficiant, propriæ hæreſis, eorum videlicet, qui mente inflati, ſeipſos puros eſſe profitentur, auctorem ſe ac ducem conſtituerat. Ob quam cauſſam Romæ maximâ congregatâ ſynodo, ſexaginta Epiſcopis ac totidem vel etiam pluribus presbyteris ac diaconis, deinde & ſeparatim aliarum provinciarum Paſtoribus, quid hac in re faciendum ſit, conſiderantibus decretum ſtatuitur ab omnibus: Novatum* (Novatianum) *eademque cum eo ſuperbiâ elatos, & quotquot illius* τῇ μισαδέλφῳ καὶ ἀπανθρωποτάτῃ γνώμῃ, *inhumaniſſimæ & à fraternâ charitate alieniſſimæ opinioni aſſentirentur,* ἐν ἀλλοτρίοις τῆς ἐκκλησίας ἡγεῖσθαι *alienos eſſe cenſendos ab eccleſia; fratres verò, qui caſu infelici prolapſi* *Euſebius deſcribit concil. Romanum.*

 fuiſ-

fuiſſent, ἰᾶσθαι καὶ θεραπεύειν τοῖς τῆς μετανοίας φαρμάκοις *reſipiſcentiæ pharmacis ſanandos & curandos.* Quomodo verò de hoc ipſo Cornelius ad Fabium Antiochen. ſcripſerit, idem Euſeb. mox ſubiungit: *Venerunt ad nos,* ait, *Epiſtolæ Cornelii R. E. ad Fabium Antiochenæ eccleſiæ Præſidem de Romana ſynodo, quæ in illa ab omnibus Italicis, Africanis & reliquorum illic locorum Epiſcopis decreta ſint, indicantes.* De Cypriani literis ait: *Deinde & aliæ Romana lingua à Cypriano & aliis, qui cum illo erant, compoſitæ; quibus ſignificabatur, & ipſos ad hoc conſentire, quod adiurandi ſint, ac curandi, qui tentationi ceſſerunt, & meritò hæreſis huius autor unà cum adhærentibus ipſi ab eccleſia catholica reiiciendus. Iſtis addita erat alia quædam epiſtola Cornelii de Synodi placitis.* Sub finem capitis addit I *in calce epiſtolæ Cornelii ad Fabium datæ poſitum fuiſſe catalogum Epiſcoporum, qui Romæ conſtituti amentiam Novati condemnarunt, additis etiam nominibus illorum & parœciis, quibus ſinguli præfuerunt. Eorum quoque, qui Romæ quidem non adfuerunt, per literas autem prædictorum ſententiæ ſubſcripſerunt.* Sed iſthæc licet omnia exciderint magno antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudioſorum detrimento, ex illis tamen reliquiis, quas hîc nobis ſervavit Cypriani & Euſebii induſtria, utcunque de cæteris iudicare licet. Nam & tempus, & locus, & obiectum, & cauſſa efficiens ſ. autor, & Patres ſeu Aſſeſſores, & modus determinationis & ipſum denique concilii decretum breviter quidem, ſed perſpicuè proponuntur. Ex quibus omnibus nos quatuor duntaxat ſub peculiaris conſiderationis incudem revocabimus.

Circa hoc quatuor exponuntur.

LV. *Primò* in genere de concilii huius autoritate quæritur, quum Baronius ſequaceſque eius, ut aliàs ubique, ſic etiam in hoc negotio Romanæ eccleſiæ & illius Epiſcopi authoritatem ſubinde crepent, ac miris modis extollant, ut Baron. ad ann. 254 num. 100 & ad præcedentem an. num. 68, 76, 81, 85 & 86, ubi aſſerit: *Romanæ SOLIVS Eccleſiæ cenſurâ hæreticos à Catholicis diſcriminari ſolitos; eos nimirum habendos eſſe catholicos, quibus illa catholicæ communicationis literas impertiret; illos verò è contrà ab omnibus hæreticos atque ſchiſmaticos eſſe cenſendos, quibus illa communicationem denegaſſet; quæ idcirco olim catholica communicatio dicebatur, quod ab omnibus aliis pariter impartiretur Eccleſiis, quam antè quis à Romana eccleſia percepiſſet.* Quum item ab aliis tanquam pro aris & ipſa religionis arce pugnetur, concilia authoritatem ſuam à Papa R. habere, quæritur, inquam, an Ro-

Primò *quæritur, an Carthag. conciliũ vim ſuam & authoritatem à ſubſequente Rom habeat.*

an Romani concilii approbatio ſit cauſſa vel certitudinis vel veritatis eorum, quæ antè à Carthaginienſi concilio decreta fuerant; atque adeò ſine acceſſione Romanæ cenſuræ Novatiani non rectè à Carthag. damnati fuiſſent? Sanè præter illa generalia Baronii etiam ſpecialiter hoc ſibi velle videntur, quæ ſcripſit ad ann. 254, num. 90: *Quod in Africa hac ſynodo* (Carthag.) *ab Epiſcopis ſtatutum fuit, Romæ* *Baronius & Binius affirm.* *itidem habitâ à Cornelio Papa ſynodo, eſt FIRMIVS ſtabilitum.* Et iſta Binii: *In hac Romanâ ſynodo decretum Carthag. concilii* CONFIRMA*TVM eſt.* Reſpond. De norma & Regula, ad quam cuncta Concilia non ſolùm inſtitui, ſed & inſtitutorum decreta examinari debeant, fortean paulò poſt dicendi occaſio erit; quod alterum attinet, dicimus, Romanæ Eccleſiæ eiusque Epiſcopi cenſuram haut- *Nos negamus.* quaquam pluris valere ad hæreticos à Catholicis diſcriminandos, quàm cuiusvis alius Eccleſiæ legitimè in Domino congregatæ; ac propterea Carthaginienſis concilii decretum, cæteris paribus, etiam ſine Romani confirmatione certum & verum fuiſſe.

LVI. Ad hoc probandum infinita ex innumeris ſcriptori- *Ratio negationis modò ex Cypriano deſumitur.* bus adduci poſſent. Vix enim mediocriter doctus fuit, qui non affectatam illam Romanæ ſedis authoritatem abundè refutaſſet. Sed nobis ſatis erit videre, quid S. Cyprianus in præſenti negotio de Romanæ Eccleſiæ præ Carthaginienſi aut quacunque aliâ, prærogativâ ſenſerit. Epiſtolâ ergo quinquageſimâ quintâ, cum Fortunatus & Feliciſſimus poſt Africanum iudicium confugiſſent Romam, Cyprianus ſic iudicat: *Quæ cauſſa veniendi & Pſeudoepiſcoporum contra Epiſcopos factum nuntiandi? aut enim placet illis, quod fecerunt, & in ſuo ſcelere perſeverant: aut ſi diſplicet & recedunt, ſciunt, quo revertantur. Nam cum ſit conſtitutum omnibus nobis, & æquum ſit pariter ac iuſtum, ut uniuscuiusque cauſſa illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum, & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſua ſubdola & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſſam ſuam, ubi & accuſatores habere & teſtes ſui criminis poſſint; niſi ſi paucis deſperatis & perditis minor videtur eſſe authoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui iam de illis iudicaverunt, & eorum conſcientiam multis delictorum laqueis vinctam iudicii ſui nuper*

gravitate damnarunt. Hæc S. Cyprianus ad ipſum Romanum Epiſcopum. Ex quibus notamus: Cauſſam illic debere audiri, ubi crimen eſt admiſſum; omnes cauſſam illic agere, ubi accuſatores & teſtes ſui criminis habere poſſint. Non igitur Romæ ſolùm. Singulis Paſtoribus portio gregis eſt adſcripta, non igitur uni totus grex. Unusquisque Paſtor regat, rationem ſui actus Domino redditurus. Non igitur redditurus uni & ſoli Romano Papæ. Denique, quod familiam ducit, non minor eſt auctoritas Africanorum, quàm aliorum, ad quos pauci deſperati & deperditi provocabant. Verbo, eſt prorſus illuſtre Cypriani teſtimonium, nullum appellandi ius eſſe ab Africanis ad Romanos.

Idem ulterius ex eodem confirmatur.

LVII. Hinc idem Cyprianus, cum loco cit. Antoniano Carthagin. concilii decretum explicaſſet, & iam ulterius indicare vellet, quomodo id ipſum Romanæ eccleſiæ placuiſſet, ſic pergit: *Si minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium Collegam noſtrum.* Quaſi diceret: Debebas utique Epiſcoporum Africanorum iudicio acquieſcere Antoniane, ſi tamen ſententias non pondere ſed numero æſtimas, ecce ex mera & abundante liberalitate addimus etiam Romanorum ſententiam, noſtræ planè conformem, &c. Non prætereunda hîc epiſtola Romani cleri, quæ eſt inter Cypriani 31. Illa non unũ pro noſtra aſſertione probanda teſtimonium habet. Dicit, quod Cyprianus *conſiliorum ſuorum* (de recipiendis lapſis) *ipſos* (Romanos) *non tam IUDICES voluiſſe, quam participes inveniri.* Sed numquid Romanus Clerus propterea indignatus fuit? Minimè omnium, quin potius Cypriani *verecundiam & ingenitam induſtriam, quod, cum SOLO Deo iudice poſſet contentus eſſe, nec opus haberet, alterius vel laudes petere, aut accuſationes pertimeſcere, nihilominus tamen actus ſuos deſiderarit etiam ab aliis ſuis fratribus comprobari,* ſic decora laude extulit, ut legentem mirificè afficeret. In fine eiusdem epiſt. vocat Cyprianum *beatiſſimum & glorioſiſſimum Papam*, quod Baronio opponendum, quando dicto num. 100. ex hoc titulo, quaſi ſoli Romano Epiſcopo competente, Pontificis ſui primatum evincere pertendit. Porrò, quàm Cyprianus aliàs in Romano Epiſcopo nullam decidendi autoritatem agnoverit, vel ex illo nemini non liquet, quod dogma ſuum de rebaptizandis hæreticis contra Stephan. R. Pontif.

Romanus Clerus antiquus hodierno contradicens nobiſcum ſentit.

Cyprianus nullam in R. Epiſcopo decide-

Pontif. tantopere defendere & eum acerbè perſtringere non dubitârit, vide eius epiſt. 74. Id certè nunquam feciſſet Cyprianus, ſi, ut Baronio l. c. perſuaſum eſt, *dividi à Romano Pontifice, illi idem fuiſſet, quod ab univerſa eccleſiâ ſchiſmate ſeparari*, aut ſi Stephanum à Deo univerſæ eccleſiæ præpoſitum, auctoritate divinitus conceſsâ, qua dubia religionis infallibiliter decideret, pollere crediſſet. Claudimus hoc ζήτημα dicto Hieronymi, quod citat Tractatus de primat. Pontif. per Theologos Smalcaldic. conſcript. p. m. 344. *Si autoritas quæritur, orbis eſt maior urbe. Vbicunque Epiſcopus fuerit, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Regii, ſive Alexandriæ, eiusdem meriti eſt, & eiusdem Sacerdotii.*

di authoritatem, quæ ſupra cæteras in orbe eccleſias eſſet, agnoverit.

Dictum Hieronymi.

LIIX. *Secundò* circa tempus concilii notamus inſigne magnorum virorum παρόραμα, qui arbitrantur, Novatianum tempore S. Fabiani, Epiſcopi R. vigeſimi primi exortum, ac ſub eodem in concilio hoc Romano condemnatum eſſe. Sic ſentit Bapt. Platina in vita Fab. *Huius tempore*, ait, *exorta eſt Novatiana hæreſis. Novatianus enim urbis Romæ Presbyter ob cupiditatem Epiſcopatus, omnia divina atq; humana miſcebat, ne in manus Cornelii, qui Fabiano ſucceſſit Pontificatus deveniret. Ab eccleſia enim ſeparatus, ſemet ac ſuos καθαροὺς i. e. mundos appellabat. Negabat apoſtatas etiam pœnitentes recipiendos eſſe. Hanc ob rem Romæ concilium ſexaginta Epiſcoporum, totidem presbyterorum cum diaconis pluribus habitum eſt, quo Novatiani opinio ut falſa improbatur, quod Salvatoris exemplo nemini pœnitenti deneganda ſit venia.* Carranza in Decret. Fab. *Tempore huius* (Fabiani) *Novatus hæreticus venit ex Aphrica & ſeparavit Novatianum &c.* Hiſce gemina ſunt, quæ ſcribunt Magdeburgenſes Cent. 3, cap. 5. pag. 99: *Venerat Novatus ex Africa profugus Romam, quo tempore gubernationi Eccleſiæ Romanæ præerat Fabianus, circa annum Chriſti* CCLII, *ibi presbyter factus, epiſcopatum continuò ambire cœpit &c.* Hos etiam plures alii ſecuti ſunt. Apparet autem, eos ſeductos eſſe epiſt. primâ, quæ Fabiano tribuitur. In illa enim memoratur, quomodo *Novatus ex Africa veniens ſeparârit de Eccleſia Chriſti Novatianum, & quosdam alios Chriſti Confeſſores & converterit in pravam doctrinam &c.* Verùm iſthæc à vero aliena eſſe, ex Cypriano, Euſebio, aliisque luculentis teſtibus clarè demonſtrari poſſet, niſi aliorum induſtria nos pridem hac operâ ſublevaſſet. Hinc ipſe Baronius ad ann. 238, num. 9 fateri adigitur, *nihil eſſe, quod dici poſſit, hæc facta*

Secundò *circa tempus concilii notatur quorundã παρόραμα.*

Epiſtola prima Fabiano tributa, ſpuria eſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

fuiſſe tempore Fabiani; ac propterea Fabiani epiſtolam *ut ſpuriam penitus cenſeri debere, niſi hæc ipſa in eâ corrigantur*. Confer Poſſevinum Apparat. Sacr. voce Fabian. Monuerant hoc ante Baronium Magdeb. cent. dict. cap. 7, pag. 180, ubi etiam, quod antea l. c. aſſeruerant, apertè quaſi retractant. Aiunt enim: *Fabiani epiſtola prima fabulatur Novatum ex Africâ veniſſe & de eccleſia Chriſti ſeparaſſe Novatianum & quoſdam alios Chriſti Confeſſores ſeduxiſſe: ſed ex Euſebii ſexto libro, capite quadrageſimo tertio, & Cypriani lib. 1 epiſt. 3, conſtat, id ſub Cornelio, & non ſub Fabiano factum eſſe.* Ita in genere quidem patet Concilium Romanum, de quo nunc agimus, ſub Cornelio habitum fuiſſe; in ſpecie etiam hoc ſcimus, quod haut ita longè poſt Carthaginienſe congregatum fuerit; ſed de anno & die nihil exacti definire licet. Pamelius in vita Cypr. ad ann. CCLII, at Baron. quem vulgò ſequuntur, ad LIV refert. Nos hactenus quidem in re incerta, quæque ipſi concilii decreto nihil vel demit vel addit, malumus ἐπέχειν, quàm intempeſtivè aliquid determinare.

De anno, ac die concilii nihil certi conſtat.

Tertiò obſervād. præter Epiſcopos etiam Presbyteros, Diaconos aliosq́ in concilio conſediſſe.

LIX. *Tertiò* obſervamus, in hoc Concilio conſediſſe, non Epiſcopos tantùm ſed Presbyteros etiam & Diaconos, deinde & ſeparatim aliarum provinciarum Paſtores. Non tædet nos iterùm Euſebii verba adſcribere. *Ob Novatiani cauſam Romæ maxima congregata ſynodo, ſexaginta Epiſcopis, ac pluribus presbyteris & diaconis, deinde & ſeparatim aliarum provinciarum paſtoribus, quid hac in re faciendum ſit, conſiderantibus*, δόγμα παρίςαται τοῖς πᾶσι, *decretum ſtatuitur ab omnibus &c.* Omnia ſic ſua luce radiant, ut cucurbitas lippire oporteat, qui nihilo ſecius videre ſe dicit, *Solos Prælatos maiores h. e. Epiſcopos ad concilia etiam provincialia, ut iudicium ferrent, vocatos eſſe.* Et vana eſt hìc diſtinctio inter ſuffragium conſultativum & deciſivum. Utrumque enim in hoc concilio Presbyteris & Diaconis conceſſum fuit. Euſebius clariſſimè pronunciat, Presbyteros & Diaconos ob eandem cauſſam veniſſe, ob quam Epiſcopi convenerant; ſed hi non ſolùm ob ſuffragium conſultativum ſed quàm maximè ob deciſivum ferendum convenerant. Ergo etiam illi ob ſuffragium non ſolùm conſultativum ſed etiam deciſivum conveniſſe, dicendi ſunt. Quid multis? δόγμα παρίςαται τοῖς πᾶσι ab omnibus diaconis, Presbyteris & cæteris Paſtoribus, æquè ac Epiſcopis decretum ſtatutum fuit. Unde rectè colligitur, nec hodie contra formam Conciliorum eſſe, ut ibi præter Epiſcopos etiam alii

Vana hìc diſtinctio inter ſuffragium conſultativum et deciſivum. Utrumque Presbyteris & Diaconis æquè ac Epiſcopis conceſſum fuit;

advocantur

advocentur ad ſententias definitivas dicendas. Ubi tamen pronis ulnis amplectimur cautelam Cuſani Concordant. Cathol. lib. 2, cap. 16. *Nec laicos, nec indifferenter clericos puto admitti debere: ſed electos & doctos viros Eccleſiaſticos, non puto in iudicio ſpernendos, cum bonum reip. tantum quæratur. & non obſtat, undecunq; veniat, dum ſaltem inveniatur.* Nimirum: quoniam Scriptura lex ſive norma eſſe debet, iuxta quam in Conciliis ſententiæ ferantur, manifeſtum eſt, unicuique, qui hanc normam intellexerit & rectè tractare noverit, licere ſententiam ſuam in Concilio proferre, atque eam pro valida habendam eſſe, ſi conſtiterit, ſecundum normam fuiſſe pronunciatum.

LX. De *numero* Patrum in hoc concilio congregatorum, quum ab Euſebio plenè ſit expreſſus, nihil addimus, niſi elegans πόρισμα pro confirmandis iis, quæ paulò antè adverſus Papam R. aſſeruimus. Etenim ſi Romanus Pontifex, qui tunc temporis Cornelius erat, *quum totam Eccleſiam docet*, i. e. docet & definit aliquid, cui ab omnibus adſenſum vult præberi, *in his, quæ ad fidem pertinent*, NVLLO *caſu errare poteſt*, contendente Bellarmino Controverſ. T. 1. lib. 4, de R. Pontif. cap. 3, initiò. Si *eſt conditor & demiurgus ſacrorum dogmatum, qui nec falli nec fallere ſciens, omnium cenſor eſt*; ſi *domus eſt, quæ columna & firmamentum eſt veritatis*; ſi *in ſumma, toto iure omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, ſive ſingulariter diſcretis, ſive in unum collectis, tam Imperatoribus, Regibus, Principibus quàm Patriarchis, Epiſcopis, & reliquis Paſtoribus ſuperior eſt*, ut Abraham. Bzovius infrunitâ audaciâ percitus ſcribere non erubuit in grandi illo libro, cui, ut argumentum, ita quoque titulus Romanus Pontifex, cap. 15 & 23; quid, amabo, tot Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, poſtremò etiam ſeparatim Paſtorum aliarum provinciarum ad definiendam rem non adeò difficilem, quippe in ſacris pandectis iam pridem pleniſſimè declaratam, congregatione opus fuit? Scitè & verè magnus Eraſmus Annot. in. 1. Cor. 7, verſ. penult. pag. 472.: *Si verum eſt quod quidam aſſeverant, Romanum Pontificem errore judiciali non poſſe unquam errare, quid opus generalibus conciliis; quid opus in Concilium accerſere Iureconſultos ac Theologos eruditos, ſi pronuncians labi non poteſt? Cur datus eſt appellationi locus, vel ad Synodum, vel ad eundem rectius edoctum, poſteaquam ſemel de cauſſa pronuntiavit Pontifex? Quorſum attinet tot Academias*

Eligans πόρισμα.

Bzovius impudentiſſimus adulator.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

in tractandis fidei quæſtionibus diſtorqueri, quum ex uno Pontifice, quod verum eſt, audire liceat? Vide etiam reliqua minimè pœnitenda.

Quartò *decretum ipſum conſentit Africanis.*

LXI. Sequitur *quartum*, nempe *decretum* ipſum. In eius explicatione licet nobis eſſe brevibus, cum ſupra ex Cypriano audiverimus, quod *in eandem cum Africanis ſententiam, pari gravitate & ſalubri moderatione conſenſerit*, nimirum lapſos ad pacem eccleſiæ & communionem admittendos eſſe, hac tamen lege, ut priùs injunctæ pœnitentiæ ſtadium decurrerent. Tantùm *de Sacerdotibus lapſis* hoc peculiariter decretum & conſtitutum eſt hoc eodem concilio, *ut illi prævià pœnitentià & ſatisfactione canonicà ad Eccleſiam quidem reciperentur, ſed à ſacerdotali functione deinceps abſtinerent & laicà tantùm communione contenti in Eccleſia communicarent.* Baronius ad ann.254, num. 91. Vigore huius decreti quidam Trophimus Epiſcopus lapſus à Cornelio ſuſceptus eſt, ſic tamen, ut *laicus communicaret.* Vide Cyprian. epiſt. 52. Idem epiſt. 68 de Baſilide & Martiale, Epiſcopis libellaticis ad Hiſpanos ſcripſit, quod prior *epiſcopatum pro conſcientiæ ſuæ vulnere ſponte depoſuerit, Deum deprecans & ſatis gratulans, ſi ſibi vel laico communicare contingeret.* Paucis interiectis ſic pergit: *Fruſtra ſibi tales epiſcopatum uſurpare conantur, cum manifeſtum ſit eiuſmodi homines nec Eccleſiæ Chriſti poſſe præeſſe, nec Deo ſacrificia offerre debere. Maximè cum iam pridem nobiſcum & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius collega noſter, Sacerdos pacificus & iuſtus & martyrio quoq; dignatione Domini honoratus decreverit eiusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam admitti, ab ordinatione autem cleri atq; ſacerdotali honore prohiberi.* Cum dicit, quod Cornelius pridem cum ipſo ita decreverit, apparet, decretum hocce non in Romano primùm, ſed iam antè in Carthaginienſi Conc. conditum fuiſſe. Unde Lud. Aurelius Epit. annal. Cæſ. Baron. lib.2, pag. 143 id principaliter ad Carthaginienſe refert.

De Sacerdotibus lapſis hoc peculiare habet, ut laici communicent.

Quid fuerit Communio laica, *ſententiæ tres.*

LXII. Porrò quid fuerit *communio laica*, diſputatur. Tres ſunt ſententiæ. *Prima* Bellarmini, lib. 4, cap. 24; qui putat vocari laicam, quæ datur ſub una ſpecie. Sed illa tam calva eſt, ut fermè ab omnibus deſeratur. Becano Manual. lib. 1, cap. 9, num. 56, equidem mirificè placet, quòd ipſi efficaciſſimum argumentum pro unius ſpeciei in Euchariſtiâ uſu ſuppeditare videatur; ſed tamen de eius veritate & ipſe valdè dubitat. In Concilio Tridentino Anton.

Prima Bellarmini, Becano ſuſpecta,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

Mondulphenſis & Io. Paulus, hic Quinqueeccleſienſis, iſte Pragen- *refutata à*
ſis Epiſcopi Theologus, monuerunt *conſtare ex ordinario Romano,* *Mondulph.*
diſtinctionem communionis in laicam & clericalem non eſſe ſacramenti
accepti diverſitatem. Hiſtor. dict. concil. pag. 584. Ioh. Lorinus *Lorinô,*
Comment. Act. 2, 42: *Revera diſtinctio communionis clericalis & lai-*
cæ non in ſpecie utrâq; & unâ eſſe videtur. Diſertius Wilh. Lindanus *Lindanô,*
Panopl. lib. 4, cap. 58. p. 356: *Laicam communionem ſunt, qui exiſti-*
mant, fuiſſe ſanctæ Euchariſtiæ ſub una panis ſpecie communionem. Quod
quàm ſit à veritate alienum, mecum agnoſcet ſpero, qui priſcæ conſuetu-
dinis ſedulus inveſtigator conſiderârit, laicam communionem tunc vel
imprimis in uſu fuiſſe, quum paßim priſco de more utraq; communionis
ſpecies & panis & calicis toti exhibebatur eccleſiæ. Albaſpinæus Ob- *Albaſpi-*
ſerv. lib. 1, obſerv. 4. *Si detur, quod omninò concedi neceſſe eſt, quo* *næô;*
tempore concilia & Patres de communione laicâ mentionem fecerunt,
laicos ſub utraq; ſpecie communicaſſe, ſequitur non eſſe ſub una ſpecie com-
munionem. Deinde ſi ingenuè fateri volumus, futilis & ieiuna explicatio
illa eſt, quæ inde laicam, quod laici non aliam, quàm panis ſpeciem au-
ferre potuerint, dictam eſſe contendit. &c. Altera ſententia eſt eorum, *Altera ſen-*
qui arbitrantur, fuiſſe eam communionem, quam laici ſumebant *tentia eo-*
extra chorum ſub utraque tamen ſpecie. Sic ſentit Mondulphenſis *rum, qui à*
l. c. & Pamelius annot. 37. in Cypr. epiſt. 52. *Laicum*, ait, *commu-* *ſolo loco e-*
nicare non aliud eſt veteribus, quàm inter laicos communicare. Orabant *am dictã*
autem & communicabant illi extra cancellos, per miniſterium Archidia- *exiſtimãt.*
coni h. e. extra chorum, uti hodiè loquuntur. Quod D. Ambroſius mani-
feſtum facit, dum Theodoſium Imperatorem poſt oblatum munus ad alta-
re, intra cancellos hærentem, per diaconum interrogari iußit, numquid
vellet, quod iſtìc hæreret? Dicenti ſe nihil aliud velle, quàm ut divina
myſteria peragi videret: Ea (inquit ille) iſtic tibi videre non licet. Ha-
bent in DEI templo Sacerdotes, habent & laici locum ſuum. Hæc
Pamelius, cum quo plerique Pontificii faciunt, Conf. Lorin. l. c.
Baron. ad ann. 314, num. 88. Binium in not. ad Concil. Laodicens.
ſub Sylveſt. Tom. 1, p. 294. Iam quidem verum eſt, non eodem *Sed nec il-*
loco communicaſſe clericos & laicos. An verò ſola hæc loci diver *la rectè ta-*
ſitas præcisè omnem denominationis rationem abſolvat, jure quis *loſtat.*
dubitet. Sic enim tantum intelligeretur communio publica, ut
ſubdolè ponit Jeſuita Becan. l. c. quo aliud falſum inde extorqueat.
At comprehendi quoque privatum, inde manifeſtum, quod Felix

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

tertius epiſt. 7. ſanxit, *quibusdam Sacerdotibus lapſis communionem laicam tantùm in morte reddendam eſſe*; nec tamen ægroti in templo publico, ſed privatis ædibus communicabant.

Tertia eaque vera ſententia.

LXIII. Tertia ergo eaque vera ſententia eſt, amandari aliquem è clero ad communionem laicam, nihil aliud eſſe, quàm illum ipſum propter admiſſum delictum ordine ſuo motum ad ſtatum laicum redigi, id eſt, non quidem penitus privatur communione eccleſiaſtica; hæc tamen ei non conceditur, neque reſtituitur aliter, quàm laico, nec ipſe propter hanc conceſſam vel reſtitutam alio loco vel ordine habetur, quam laico.

Probatur ex Cypriano,

Id ex ipſis Cypriani verbis clarè conſtat; nam mulctam lapſorum Sacerdotum; quæ erat, ut laici communicarent, non aliter explicat, quàm *ut ab ordinatione cleri & ſacerdotali honore prohibeantur.*

Balſamone,

Inde Th. Balſamo ad Canon. Trullan. XXI; *qui*, ait, *propter aliquod crimen deponuntur, ut laici reputantur, nec poſſunt poſt depoſitionem aliquid agere, quod ad clericum ulla ratione pertineat.*

Zonarâ,

Zonaras expoſit. canon. XXXII. Epiſt. canon. Baſilii M. *Clerici, qui peccatum ad mortem peccant, de gradu quidem dejiciuntur, à laicorum autem communione non arcentur, i. e. non prohibentur, quo minus cum laicis conſiſtant & precentur. Neq; enim vel in audientium vel in ſubſtrationis locum relegantur.*

Apologiâ Aæ Confeſſ.

Idem docet Apologia Aæ Confeſſ. artic. de utr. ſp. cœn. Dom. §. Adverſarii. *Si quando*, inquit, *Sacerdotes laicâ communione uti jubentur, ſignificatur, quòd à miniſterio conſecrationis remoti fuerint. Neq; hoc ignorant adverſarii, ſed abutuntur inſcitiâ imperitorum, qui cum audiunt laicam communionem, ſtatim ſomniant morem noſtri temporis, quo datur laicis tantùm pars Sacramenti.* (Nimirum rectiſſimè Albaſpinæus ſuas obſervation. orditur his verbis: *Multa in uſu & conſuetudine hominum poſita ſunt, quæ etſi à majoribus noſtris manaſſe tradantur, longo tamen temporis tractu ſunt ita mutata, aut in alium uſum translata, ferè ut nihil aliud, quàm nomen ex priſtino inſtituto retineant, inde verò magni errores conſecuti ſunt. Nam harum rerum ſi fortè nunc incidat mentio, eas non uti fuêre, ſed quales hodiè ante oculos noſtros verſantur, concipimus, atq; de iis diſſerimus.*)

Chemnitiô.

Chemnitius, parte 2. Exam. artic. de comm. ſub utr. ſp. p. 235: *Laica communio veteribus vocabatur, quando clericus propter crimen aliquod ab officio miniſterii vel ſuſpendebatur, vel prorſus removebatur, tunc enim ipſe non adminiſtrabat euchariſtiam, ſed eam tantum accipiebat, idq; non*

inter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

inter clericos, ſed poſt clericos cum laicis & in loco, ubi laici communicabantur. Agnoſcunt igitur & fatentur ipſi Pontificii laicam communionem apud veteres non eſſe intelligendam de alio communionis genere, ſed de gradu, ordine & loco communionis. Pontificiorum idem agnoſcentium multitudinem conquirere, non eſt huius loci; unus inſtar omnium ſit prædictus Aurelianenſium Epiſcopus, qui dextrè & luculenter loc. ſupra cit. *Communio igitur laica erat, eſſe in eccleſiâ & de eccleſiâ tanquam laicum, ita ut, qui eccleſiaſticus laicæ communioni deputabatur, gradu ſuo perpetuò excideret, & ex clerico fieret laicus: quod ſi Euchariſtiæ participaret, laicorum more, non more eccleſiaſticorum participaret. Sed omni ratione contendo, potuiſſe fieri, ut quis laicorum more communicaret, nec tamen ſumeret Euchariſtiam. Nam communicare nihil aliud eſt, quàm partem habere in conſociatione fidelium, quæ etiam conſiderata extra Euchariſtiam multas alias rationes complectebatur; quamvis nolim negare eius coniunctionis, per quam in corpus unum fideles coaleſcunt, præcipuè vim & modum in euchariſtia reſidere.* Hæc pro explicando Romani Conc. decreto de communione laicâ ſatis eſſe remur. Plura legas apud Dn. Calixtum, diſput. contra communion. ſub unâ, à num. 134 ad 141. Dan. Chamier. Panſtrat. Tom. 4, lib. 9, cap. 3, num. 21 ſeqq.

Albaſpinæo.

LXIV. Hactenus Conciliorum Novatianæ hæreſi oppoſitorum ſtatum, quando, ubi, à quibus & quomodo habita, quæque in iis ſtatuta fuerint, utcumque delibavimus, ſupereſt, ut, quæ illa conſecuta ſint, leviter tangamus. (1) Quod ipſum decretum ſpectat, notamus *primò*, plurium aliarum cum Synodorum, tum eccleſiarum unanimem conſenſum. Etenim ob eandem Novatiani cauſſam etiam alios Italiæ Epiſcopos circa hæc tempora conveniſſe, & quod in conciliis Carthaginienſi & Romano conſtitutum fuerat, confirmaſſe, teſtatur Hieronymus de ſcript. Eccl. cap. 66, verba num. 36 adducta ſunt. Antiochiæ quoque haut obſcuram contra eundem Synodum celebratam fuiſſe, diſcimus ex illo Dionyſianæ epiſt. fragmento, apud Euſeb. H. E. lib. 6, cap. ult. ibi nuntiat Cornelio Romano Epiſcopo *advocatum ſe ab Heleno Tarſenſi Ciliciæ Epiſcopo ac reliquis illius conſortibus Firmiliano Cappadociæ & Theoctiſto Palæſtinæ Epiſcopis, ut ad Synodum Antiochenam accurrat, ubi nonnulli ſchiſma Novati corroborare conati ſunt.*

Quænam concilia Carthag. & Romæ conſecuta ſint.

1. Primò, *aliarum eccleſiarū conſenſus.*

Hic Dionyſius præ cæteris omnem, ut aiunt, lapidem movit, ut turbatam eccleſiam plenè componeret, ſcriptis etiam tunc temporis, ſicut quidam exiſtimant, inſignibus illis ad Novatianum literis, dignis omninò, uti hoc loco ex num. 35. repetitæ legantur. De aliorum Conciliorum, puta Arelatenſ. Conſtantinopol. I. Taurinenſis, Milevitani, Arauſicani, Nicæni magni, ac cæterorum ſubſequentibus ſeculis habitorum conſenſu nihil addimus. Vide Franc. Longum à Cor. annot. ad Concil. 1. Carthagin. pag. 151. Quanto verò gaudio omnes ubique eccleſiæ perfuſæ fuerint ob retuſam & profligatam Novatiani inſaniam, iucundum erit primoribus quaſi labiis ex eiusdem Dionyſii ad Stephanum R. E. epiſtolâ, iterum Euſebii induſtria lib. 7, cap. 4 conſervatâ, deguſtare. *Scias frater*, ait, *unitas eſſe cunctas per orientem, & adhuc ulteriores eccleſias, quæ antea diviſæ à ſe invicem fuerunt. Concordes ſunt omnes ubique eccleſiarum Præſides, vehementer gaudentes ſuper pace, quæ præter expectationem eſt facta. Demetrianus Antiochiæ, Theoctiſtus Cæſareæ, Mezabantes Hieroſolymis, Marinus Tyri, mortuo Alexandro, Heliodorus Laodiceæ poſt obitum Thelimydris, Helenus Tarſi & cunctæ Ciliciæ eccleſiæ Firmilianus & omnis Cappadociæ. Solos autem præclariores Epiſcopos nominavi, ne epiſtolam prolixiorem, & narrationem moleſtam redderem. Vniverſa Syria & ipſa Arabia, quibus ſinguli contenti eſtis, & quibus iam ſcribitis, & Meſopotamia, Pontus etiam & Bithynia, &, ut in ſumma dicam, exultant ubique omnes in concordia & fraterna dilectione Deum glorificantes.* De Maximi, Urbani, cæterorumque Confeſſorum, quibus Novatianus impoſuerat, ad piam matrem Eccleſiam reditu, indeque apud omnes ſingulari lætitiâ excitatâ, plurimis ex Cypriano agit Baron. ad ann. 254, n. 97 ſeqq.

Magna in toto mundo retusâ Novatiani inſaniâ lætitia exorta.

2, decretũ conciliorũ nonnihil immutatur.

Deinde de eodem decreto ſciendum, eſſe id haud diu poſt, quoad canonicæ pœnæ rigorem nonnihil immutatum. Quum enim, ſicut diximus, prius ſtatutum eſſet, ut lapſi non niſi diu pœnitentiâ actâ admitterentur ad pacem, nî fortè periculum mortis urgeret; iam manifeſtante Domino per crebras & claras viſiones, novam à Gallo Imperat. perſecutionem imminere, S. Cyprianus ſecundâ de lapſis Synodo habitâ, ſtatuit: Omnibus, qui pœnitentiam agere & Dominum deprecari à primo lapſus ſui die non deſtitiſſent, pacem dandam eſſe; condonato ſcilicet reliquo tempore, quod aliàs in publica pœnitentia adhuc abſolvendum reſtabat. Id ipſe Cyprian.

Cyprianus ſecundam de lapſis Synodum inſtituit.

prian. epiſtolâ inſignitè pia & eleganti ad Cornelium perſcripſit. Apponemus quædam: *Meritò*, ait, *trahebatur dolentium pœnitentiæ tempore longiori, ut infirmis in exitu ſubveniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacrumas & ſubvenire ſerò morientibus in infirmitate pateretur. At verò nunc non infirmis, ſed fortibus pax eſt neceſſaria, nec morientibus ſed viventibus communicatio à nobis danda eſt; ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione corporis & ſanguinis Chriſti muniamus. Nam quomodo docemus aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in eccleſia poculum* (Nota obiter trinam repetitionem, quod calix etiam laicis dari debeat) *iure communicationis admittimus?* Tandem poſt multa: *Placuit nobis, S. Spiritu ſuggerente & Domino per viſiones multas & manifeſtas admonente, quia hoſtis nobis imminere prænunciatur & oſtenditur, colligere intra caſtra milites Chriſti, & examinatis ſingulorum cauſſis, pacem lapſis dare, immò pugnaturis arma ſuggerere; quod credimus vobis quoque paternæ miſericordiæ contemplatione placiturũ.* Quomodo porrò acciderit, ut Privatus, veterator hæreticus una cum ſuis ad hanc ſynodum venerit; quaſi acturus cauſam ſuam, & cum ea excidiſſet; atque denuò damnatus eſſet, collectis ſecum ſociis, ſupra nominatis, ibidem Carthagini creaverit adverſus Cyprianum Pſeudoepiſcopum Fortunatum, quidque deinceps actum fuerit, ipſe Cyprianus fusè recenſet epiſtola LV. Conf. rurſum Baron. ad ann. 255, num. 10 ſeqq. Hoc unum.

Eius decretum.

LXV. (2) Novatianus licet tam unanimi catholicæ eccleſiæ ſententiâ peſſimi erroris convictus & condemnatus atque iam verè αὐτοκατάκριτος eſſet, nihiloſecius tamen antiquum contumaciter retinuit. Conſtat enim, ipſum poſt tres ordine Pontifices, Cornelium, Lucium & Stephanum adhuc in vivis fuiſſe, &, ut Onuphrius computat Chron. Pont. Rom. ſex plus minus annis contra eosdem perpetuum pſeudoepiſcopatum uſurpaſſe. Quod fortean alicui ex hodiernâ Hildebrandinâ doctrinâ (qua docetur *unicum ſaltem in mundo nomen eſſe, Papæ videlicet; & ab illo excommunicatos rectè & licitè imò meritoriè à quovis trucidari poſſe*) antiquos mores iudicanti mirum videri poſſet; ſed cauſſa in aperto eſt. Non tunc papatus erat regnum, ideoque duos capere poterat. Conf. M. An-

2. Novatianus condemnatus licet, tamen errorem defendit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

ton. de Domin. lib. 4 de repub. eccl. 11, num. 60, pag. 496. Poſtmodum in Valeriana perſecutione, cum adhuc extra veram eccleſiam conſtitutus eſſet, & ab unitate atque à charitate diviſus, quo in ſtatu vera martyrii gloriâ coronari non potuit, (ſicut de eo præcipuè Cyprianum vaticinatum eſſe, exiſtimat Pamelius annot. 50 in epiſt. 52) cum aliis Chriſti nomen profeſſis atroci morti traditus eſt, referente poſt Socratem Nicephorò Call. H.E. lib. 11, cap. 14. Verùm hæreſis eius diu pòſt in aliquot ætates ſe extendit & paſſim vagata eſt. *Interdum enim repreſſa ad tempus, ſtatim rurſus reſuſcitata & paulatim confirmata eſt. Sæpè Eccleſiæ Novatianorum penitus dirutæ, ipſi verò perſecutiones paſſi ſunt. Sæpè verò eccleſiæ eorum denuò apertæ, & libertas iis ex toto viciſſim conceſſa eſt. Fuerunt autem ut plurimum Novatiani in Oriente ac in Africa maximè & Phrygia, ut Socrates ſcribit: qui & Nouatianorum in Cappadocia meminit; & in Helleſponto. Item in Occidente ut Romæ, in Galliis & alibi. Conſtantinopoli verò longiſſimè hæc hæreſis duravit, proprium ſemper habens Epiſcopum, quoad urbs ea à Turcis capta & publica religione exuta eſt.* Ita Magdeb. cent. 3, cap. 5, pag. 103. Videndus hîc Nicephorus lib 4, cap. 42, lib. 12, c. 36, lib. 14, c. 13, & 41.

SECTIO III,

Quàm rectè Novatianus in dictis conciliis damnatus ſit, expendens.

LXVI. QUomodo Novatianus à ſanctis Concilii tàm Carthag. quàm Romani Patribus damnatus & contra eius crudele dogma unamiter ſtatutum fuerit, lapſos, ſi prius præſcriptum pœnitentiæ curriculum abſolviſſent, in almæ eccleſiæ ſinum recipiendos & fovendos eſſe, ſuperiori ſectione non ſemel repetitum fuit. Decretum illud ad duo diſtinctè reſpondet, primò ad quæſtionem, an detur poſt lapſum pœnitentia & in priſtinam gratiam reſtitutio; deinde, quas ſatisfactiones antiqua eccleſia prius requiſiverit, quàm illa reſtitutio præſtaretur. Vtrumque excutere, non noſtri modò laboris eſt vel otii; tantùm de priori, quid iuxta Dei verbum ſentiendum ſit, breviter adiiciemus.

Decretum Conciliorum C. & R ad duo reſpondet; prius hac vice expēdere libet.

LXVII. Principiô nullum prorſus dubium eſt, ſancta Dei oracula ſub pœnâ æternæ damnationis capitalia illa peccata Gal. V, 19 ſeq. enumerata, inter quæ εἰδωλολατρεία facilè familiam ducit, ſeriò prohibere, diſertè etiam docere, quod longè periculoſiſſimum ſit, ſi is, qui ex regno diaboli & tenebrarum ſemel ereptus & in regnum Filii Dei tranſlatus eſt, in Satanæ poteſtatem denuò redeat: *Abit enim ille & accipit ſecum ſeptem alios ſpiritus improbiores, quàm ipſe ſit, & ingreſſi habitant illic, ſitque ultima conditio hominis illius deterior priore.* Nec tamen propterea exiſtimandum eſt, ſi quis ex ſtatu gratiæ exciderit, prorſus de ipſo actum eſſe, neque reconciliari eum Deo amplius poſſe. nam contraria fundamenta rurſus reperiuntur in eodem Dei verbo, quod cum Form. Concord. pag. m. 632, *unicam & certiſſimam illam regulam eſſe credimus, ad quam omnia dogmata exigere, & ſecundum quam de omnibus tum doctrinis tum Doctoribus iudicare oporteat.* Porrò verò quibus argumentis Conciliorum Patres Novatianum impugnârint, ſupra, non ſatis liquere, diximus. De iis, quæ paſſim apud S. Cyprianum & alios leguntur, fas eſt pronunciare, quod Dn. D. Dorſchéus Coll. ad Concil. Francof. ſect. 3, cap. 6, p. 173: *Deprehenditur in antiquiſſimis S.S. Patrum disputationibus & conciliorum etiam decretis, quod ſententia ipſa ſit analogiæ fidei conſentanea, nihilominus tamen deductione eiusdem ex ſacris literis non ſemper obtineatur Spiritus S. intentio.* Nos ex innumeris, quæ optima videntur, hæc quinque damus:

Pro conc. decreto quinq; argumenta.

LXIIX. *Primo* loco ſtent clariſſima teſtimonia V. T. quæ univerſis omnibus peccatoribus ſine ulla exceptione vel diſcrimine delictorum veniam promittunt, ſi convertantur & emendentur. Tale eſt illud Eſaiæ 1, 16: *Lavate vos, purificate vos, amovete malignitatem actionum veſtrarum ex adverſo oculorum meorum, deſinite malè facere, diſcite benè facere, quærite ius, beate oppreſſum, ius dicite pupillo, ſuſcipite cauſſam viduæ. Et iam venite, ut diſceptemus, inquit Dominus: ſi fuerint peccata velut dibapha, tanquam nix exalbeſcent, ſi rubra fuerint, velut coccineum, ſimilia lanæ erunt.* Hebraic.
אם יהיו חטאיכם כשנים כשלג ילבינו אם יארימו כתולע כצמר יהיו
Vbi longius petitum eſt illud Caietani, per rubedinem vindictam Dei, per albedinem gloriam ſignificari. Sed rectè Baſilius h. l. rubro, inquit, colori peccata noſtra conferuntur,

Primum petitur à dictis V. T. omnibus peccatoribus, ſi reſipiſcant, veniam promittẽtibus, ut Eſ. 1, 16. ſequent.

quod

quod ſint φοινικοὶ i. e. elephantiaſes ſive lepræ animatum. D. Am-
broſ. in apolog. David. cap. 12, ſi fuerint peccata veſtra ſicut phœni-
cium, ut nivem dealbabo: hoc eſt, ſi cruenta, ſi tetra, mundabo.
S. Hieron. hîc, tunc peccata, quæ prius in modum coccini ſanguinea
fuerant dimittentur &c. Sic etiam acceperunt S. Nazianzen. Orat.
39 in *ſancta lumina*, qui, ut & Chaldæus Ionathas, notat, poſteriore
voce magis accenſum & inolitum colorem denotari; & dici de per-
fectis viris ſanguinum hoc eſt, de maximis & pertinaciſſimis pecca-
toribus. Cum enim in purpura duo inſint, ipſa rubedo ſanguinea
& ſplendor huius rubedinis; non ſplendori, ſed rubedini tantum
comparantur peccata, quæ ſanguinum voce ſolet S. Scriptura voci-
tare. Hæc ad hunc loc. Mart. Del Rio Adag. ſacr. part. 1, pag. 280.
Idem Eſaias cap. XLIII, 25: *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates*
Eſ. XLIII, *tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Ierem. III, 1.
25. *Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit virum: num*
Ier, III, 1. *quid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta & contaminata e-*
rit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen
revertere ad me, dicit Dominus. & v. 12. *Revertere averſatrix Iſrael*
ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis, quia ſanctus ego
Ezechiel. *ſum, dicit Dominus & non iraſcar in perpetuum.* Ezechiel. XVIII, 21:
XVIII, 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt,*
vivet. Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non
ut convertatur à viis ſuis & vivat: Vbi ſanè notanda, quæ p.m. Theolo-
gus Dn. D. Mentzer. ad h. l. notari iubet Exeg. A. C. artic. XII, con-
fut. err. Photin. §. 12, ibi: *Primò* impius dicitur, qui idola colit, adul-
teria exercet, ad menſtruatam accedit verſ. 6, qui vim infert proximo,
raptor, immiſericors, verſ. 7, uſuarius, iniquus, falſus iudex,
verſ. 8. contemtor divini cultus verſ. 9, adde verſ. 11, 12, 13. *Se-*
cundò: Talis impius poteſt converti & multi tales conver-
ſi ſunt, verſ. 21. *Tertiò* Dei voluntas eſt, ut tales impii convertantur
verſ. 23, 33. *Quartò*: Impio, ſi convertatur, non erit in rui-
nam iniquitas, verſ. 31. Vnde emergit concluſio: Quiſquis pecca-
tor acta pœnitentiâ revertitur ad Deum, remiſſionem omnium
peccatorum conſequitur & vivit. Et cap. XXXIII, 2. *Ne vivam ego,*
Ezechiel. *dictum Domini Dei, ſi delector morte improbi, ſed,* (delector) *quum re-*
XXXIII, 2. *vertitur improbus à via ſua, ut vivat. Revertimini, revertimini à viis*
veſtris peſſimis, cur enim moreremini domus Iſrael? Iurans, inquit

Ter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

Tertullian lib. de pœnit. cap. 4, *& vivo, dicens, cupit credi ſibi; O beatos nos, quorum cauſſa Deus iurat, ſed ô miſerrimos, ſi nec iuranti Domino credimus!* Ioël, 11, 12. *Convertimini ad me ex toto corde veſtro* *Ioel II, 12.* *& ieiunio & fletu & planctu, lacerate corda veſtra ac non veſtes veſtras & revertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia gratioſus & miſericors eſt, longanimis & amplus benignitate & quem pœnitet mali.* Zach. 1, 3, ſic ait *Dominus exercituum: Revertimini* *Zach. I, 3.* *ad me dictum Domini exercituum, & revertar ad vos, ait Dominus exercituum.* Malach. 3, 7. *Revertimini ad me & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* *Malachiæ III, 7.* Si autem omnibus omninò peccatoribus, qui convertuntur, venia promittitur, cur nos eos diſcriminemus, quos Scriptura non diſcriminat? Nec dici cum Tertulliano poteſt, in V. T. id hominum imbecillitati datum fuiſſe, ut non ſemel, ſed *Tertulliani objectio* ſæpius reciperentur; in N. autem longè exactiorem diſciplinam ſancitam eſſe, ac ut ipſe loquitur (lib. de Pudicit. cap. 6.) *Veteris Teſtamenti interdicta in N. etiam cumulatiore præcepto prohibita. Pro, non mœchaberis, Qui viderit ad concupiſcentiam, iam mœchatus eſt in corde ſuo: & pro, Non occides, Qui dixerit fratri ſuo Racha, reus erit gehennæ;* ita ut ſemel & in baptiſmo tantùm magnis criminibus indulgentia detur, poſt verò non item. Quid enim? Num adventu *diluitur.* Chriſti, quo plenitudo gratiæ exerta fuit, hoc ademptum eſt fidelibus beneficium, ne pro delictorum venia audeant ſupplicare? ne ſi Dominum offenderint, ullam miſericordiam conſequantur? Quid hoc erit aliud, quam Chriſtum dicere in ſuorum perniciem veniſſe, non ſalutem, ſi quæ in V. Teſtamento aſſiduè ſanctis parata erat Dei indulgentia in peccatis condonandis, nunc è medio ſublata dicitur? Quod ſi ſcripturis fidem habemus, diſertè clamantibus, in Chriſto demum gratiam & humanitatem Domini ad plenum apparuiſſe, effuſam miſericordiæ opulentiam, reconciliationem Dei & hominum adimpletam, ne dubitemus, quin multo benignior nobis clementia cœleſtis Patris exuberet potius, quàm abſciſſa aut decurtata fuerit. Poſtremò nullibi de decalogo in N. T. cumulatioribus præceptis adaucto ab Apoſtolis quicquam ſcriptum eſt, ſed à pſeudopropheta Montano, illo ineptiſſimarum hæreſium hamaxariô id primùm excogitatum; Avorum verô memoriâ ab infauſto Socino deteſtabili auſo ex erebi clauſtris denuò in lucem protractum. Atqui videamus, quid in hoc negotiô novum inſtrumentum velit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

Dicta N. T. Matth. XI,28, Ioh. VI,37. LXIX. (1) Chriſtus ipſe Matth. XI, 28: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Iohann. VI,37: *Eum, qui venit ad me, non eiiciam foras.* vers. 40: *Hæc eſt voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* *Apoc. 2,5.* Apocal. 2, 5. idem Dominus Ieſus ad Angelum (Paſtorem) Epheſinæ eccleſiæ: *Memor eſto*, ait, *unde excideris & reſipiſce & priora opera facito; ſin minus, veniam adverſum te citò & movebo candelabrum tuum à loco ſuo, niſi reſipueris.* *Ibid. 3,17.* Et cap. 3, 17. ad angelum Eccleſiæ Laodicenſ. ait: *Dicis: dives ſum & ditatus ſum & nullius indigeo; & neſcis, quod tu es miſer, & miſerabilis, & pauper & cœcus ac nudus. Suadeo tibi à me emere aurum ignitum ex igni, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, ut non appareat dedecus nuditatis tuæ: & collyrio inunge oculos tuos, ut videas. Ego quoſcunque amo, arguo & caſtigo; æmulare ergo & reſipiſce.* Ecce uterque Chriſtianus erat, imò eccleſiæ Epiſcopus, & gratia Chriſti exciderat. Et tamen veniam iis Servator ipſe promittit, ſi reſipiſcant & priora opera faciant. Scita ſunt illa Tertulliani ad h. l. lib. de pœnit. cap. 7 & 8. *Non ſtatim ſuccidendus aut ſubruendus eſt animus deſperatione, ſi ſecundæ quis pœnitentiæ debitor fuerit: pigeat ſanè peccare rurſus; ſed rurſus pœnitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, ſed non iterum liberari. Neminem pudeat. Iteratæ valetudinis iteranda medicina eſt. Gratus in Dominum extiteris, ſi quod tibi Dominus offert, non recuſaveris. Offendiſti ſed reconciliari adhuc potes. Habes cui ſatisfacias, & quidem volentem. Id ſi dubitas, evolve, quæ Spiritus eccleſiis dicat: Deſertam dilectionem Epheſiis imputat; ſtuprum & idolothytorum eſum Thyatirenis exprobrat: Sardos non plenorum operum incuſat: Pergamenos docentes perverſa reprehendit: Laodicenos fidentes divitiis obiurgat: & tamen omnes ad pœnitentiam commonet, ſub comminationibus quidem. Non* » *comminaretur autem non pœnitenti, ſi non ignoſceret pœnitenti, &c.* Hæc eleganter Tertullian. adhuc orthodoxus. Iam quibus vult Matth. XIIX, 22. Chriſtus Matth. 18, 22. ut condonemus ſeptuagies ſepties? annon fratribus lapſis? Quorſum autem præcepit, niſi ut ſuam clementiam imitemur? Condonat igitur non ſemel aut bis; ſed ſeptuagies ſepties, (qui numerus non quidem plura, quàm 490 efficit, ſed aliàs *Septenarius numerus in ſacris ſcri-* in divinis ſcripturis non rarò infinitudinem, perfectionem, univerſitatem aut ſufficientiam rei, cui additus eſt, ſignificat, uti pluribus exemplis præclarè demonſtrat perquam Rever. & Ampliſſ. Dn. D.

Stephan.

Steph. Clotzius Tract. de Angelolatr. disput. 10, punct. 16. num. 16.) hoc eſt, quoties delictorum agnitione conſternati ad eum ſuſpirant. Pulcrè hîc Athanaſius quæſt. 93, tom. 2, ut citat Chriſtoph. Pelarg. quæſt. Evang. in Matth. cap. 18, part. 3. *Perſpectâ mutabilitate naturæ humanæ,* Κἂν μυριάκις ὁ ἄνθρωπος πέσει, κἂν μυριάκις μετανοήσει, οὐδαμῶς αὐτὸν ἀποβάλλεται, *etſi millies homo lapſus ſit, & millies reſipuerit, nequaquam eum abiiciet. Qui enim Petro annunciarit, ſeptuagies ſepties fratri ignoſcendum, multò amplius ipſe & vel ſepties millies homini ignoverit reſipiſcenti.* Nota etiam eſt peregregia Chryſoſtomi vox: Χιλιάκις μετανόησας, χιλιάκις εἴσελθε. *Si millies lapſus pœnitentiã egeris, millies in eccleſiam ingredere.* Apud Socratem hiſt. eccl. lib. 6, cap. 19. (2) A magiſtro ſuo ne latum unguem aut digitum transverſum diſcedunt diſcipuli. S. Paulus 2. Cor. 12. ult. *Metuo, ne iterum, ubi venero, humilem me faciat Deus meus apud vos & lugeam multos eorum, qui antè peccaverunt, nec eos pœnituit immunditiæ, libidinisque & impudicitiæ, quam patrarunt.* Metuere ſe dicit, ne lugere cogatur eos, qui impuritati & ſcortationi & laſciviæ ſe tradiderant, idque ideò quod ſuper impuritate & peccatis ſuis non reſipuerint, expreſsè ſignificans, etiam Chriſtianis & baptizatis, quales Corinthii erant, reſipiſcentiam in tantis criminibus adhuc dari. Rom. v, 20. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia, ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam per I. C.* S. Petrus poſter. epiſt. III, 9. *Deus non vult aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Reliqua ſcripturæ dicta, per Dei gratiam etiam ſeptennibus pueris noſtris nota, ſi hîc

——— ——— comprêndere coner,
Icariæ numerum dicere coner aquæ.

pturis ſæpè infinitudinẽ notat.

II Cor. XII, ultim.

Rom. 5, 20.

II Petr. III, 9.

LXX. *Secundò,* manifeſta ex utroq; fœdere exempla in promtu ſunt, quæ affatim probant, in gratiam receptos eſſe eos, qui per enormia peccata illâ prius exciderant. (1) Unum inſtar omnium eſſe poſſet exemplum Protoplaſtorum, qui utique initiô ſancti, iuſti & verbo, ad imaginem Dei conditi erant; ſed cum poſtea horribiliſſimo lapſu, cuius atrocitatem nec humana mens concipere nedum lingua exprimere valet, à Deo deficerent atque illam iuſtitiæ originem petulanter proculcarent; non tamen nullum pœnitentiæ locum Deus reliquit, ſed abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ concedens eos rurſus in vitâ regnare voluit per Ieſum Chriſtum.

Secundum argument. ab exemplo

(1) V. T. 1 Protoplaſtorum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

2, *Aaro-nis*, Gen.3 & Rom.5. Confer (2) exemplum Aaronis, Exod. 32.
3, *Davi-dis*, (3) Davidis, qui in tantâ apud Deum gratia erat, ut in maiori vix quiſpiam alius vel tum vel poſtea fuerit. Et tamen cum adulterium & homicidium perpetraſſet, veniam impetravit. Imò hac rurſum per ſuperbam populi numerationem amiſsâ, tamen etiam
(2) *ex V.* ſecunda vice cum Deo in gratiam rediit. (4) S. Petrus tot annis
4, *Petri*, cariſſim⁹ Chriſti diſcipulus, imò, ut à nonnullis vocatur, totius chori Apoſtolici princeps Magiſtrum ſuum abnegavit; & tamé poſt actam pœnitentiam à Chriſto in gratiam receptus, priſtinoq; Apoſtolatûs loco reſtitutus eſt: exemplo luculento, quod unum omnem dubitationis nebulam pleniſſimè diſpellit. *Si*, inquit Bernardus, (citante Dn. D. Gerhard. L. de pœnit. §.15) *Petrus poſt tàm gravem lapſum ad*
5, *Pauli*, *tantam rediit eminentiam ſanctitatis, quis de cætero deſperet, ſi tantùm egredi voluerit à peccatis?* (5) S. Paulus circumciſus erat, & in ſancti fœderis participationem allectus, poſtea verò blasphemus licet & perſecutor ingens & contumelioſus factus eſſet, nihilominus tamen miſericordiam Dei conſecutus eſt. At quare hoc? Reſpondet ipſe: *ut in me primò oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam*
6, *inceſti*, *æternam.* 1. Tim. 1, 13, & 16. Iam (6) ſcortator ille, quem Paulus 1. Cor. 5, 5. tradi Satanæ iubet, eiusmodi ſcortatione, quæ ne inter gentes quidem tum nominabatur, ſe contaminârat, adeò ut uxorem Patris haberet: Nec tamen ita eum Satanæ tradit, ut ſpem ſalutis ei abſolutè præcidat, *ſed ad exitium carnis*, inquit, *ut Spiritus ſalvus ſit in die Domini.* Eundem etiam poſtea, cum tota eccleſia Corinthiorum in illum inſurrexiſſet, tantumque ſtudium, indignationem, zelum & vindicationem in homine increpando, & à ſe ſegregando demonſtraſſet, ut metus eſſet, ne redundante triſtitiâ abſorberetur, non ipſe tantùm recepit, & in conſpectu, ut loquitur, Chriſti ei condonavit, ſed ut idem Corinthii facerent, imò ut charitate eum deinceps complecterentur & conſolarentur etiam, mandavit. 2. Cor. 2, 7, & cap. 7, 11. Conf. hîc iuxta Commentatores Dn. Chemnit. Exam. part.
Cõtra Ter-tullianum 4, de indulg. pag. 88, ſqq. Non quidem neſcimus, Tertullianum de pudic. cap. 13, rurſus cum Montaniſtis ſuis contendere, non eſſe eundem Corinthium inceſtum, quem Paulus 1. Cor. 5. tradidit Satanæ & cui 2. Cor. 2, condonaſſe ſe ſcribit. *Revera*, ait, *ſuſpicantur Apoſtolum Paulum in ſecunda ad Corinthios eidem fornicatori veniam dediſſe,*

 quem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

quem in primâ dedendum Satanæ in interitum carnis pronuntiarit, impium Patris de matrimonio hæredem, quaſive ipſum poſtea ſtylum verterit ſcribens: Recitat verba Apoſtoli ex 2. Cor. 2. vers. 5, ad 11, & poſtea ſubiungit: *Quid hîc de fornicatore? quid de paterni thori contaminatore? quid de Chriſtiano ethnicorum impudentiam ſupergreſſo intelligitur?* Imò verò omnia intelliguntur. Quem enim Apoſtolus priori epiſtolâ excommunicari mandaverat, is hac poſteriori viciſſim ſuſcipi iubetur. vers. 6, 7. Sed inceſtum Apoſtolus priori epiſtolâ excommunicari mandârat. E. Taceo nunc, quod reliqui Patres, nominatim Pacianus epiſt. 3. ad Sympr. Biblioth. Patr. tom. 4. pag. 242. idem nobiscum diſertis verbis aſſerant, & ex hoc Novatianos arctiſſimè ſtringant. Vide etiam Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 12. ſqq. Chryſoſtom. h. l. aliosque à Pamelio in dictum Tertulliani locum annotat. 98 citatos. (7) Huc referri poſſet iucundiſſima narratio ab Euſebio lib. 3. H. Eccl. cap. 20. ex Clemente pluribus deſcripta, de iuvene quodam, quem Iohannes Evangeliſta Epiſcopo erudiendum tradiderat. Ipſe autem cum indulgentiâ deterior factus eſſet, imò latronum dux violentiſſimus conſtitutus, homicidio addictiſſimus & ſæviſſimus evaſiſset; Iohannes poſtea è latronum ſodalitio revocatum & emphaticis & memorabilibus verbis admiſſorum criminum veniâ impertitus fuit. De quibus tamen verbis ut & eorum è græco in latinum à Chriſtopherſono factâ translatione vidend. Dn. Chemnit. Ex. parte 4. pag. 104.

oſtenditur, eundē eſſe inceſtū, quem Paulus 1. Cor. 5. tradit Satanæ, & cui 2. Cor. 2. condonat.

7, exempl. ex hiſt. eccleſ.

LXXI. *Tertiò.* Chriſtus dedit eccleſiæ claves ſolventem & ligantem i. e. poteſtatem remittendi peccata verè pœnitentibus eademque retinendi ſecuris & impœnitentibus Matth. 16, 19. Ioh. 20, 23. Quod ſi nulla poſt baptismum lapſis reliqua eſſet pœnitentia, uſus miniſterii eccleſiaſtici & præcipuè clavis ſolventis tolleretur. Hoc argumento frequenter uſi ſunt, qui adverſus Novatianos ſcripſerunt. Ambros. lib. 1. de pœnit. cap. 2. *Deus diſtinctionem non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus & relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit.* Conf. B. Gerhard. l. cit. *Quartò* inſigne argumentum ſuppeditat ille enarrabiliter magnus & omnis ſolatii pleniſſimus finis & fructus interceſſionis ac mediationis Chriſti pro nobis. Si enim ex hac interceſſione habemus ſpatium & tempus pœnitendi, licet ſæpius ſat diu peccatis peccata cumulemus; Si habemus tutum per preces noſtras ad Patrem aditum,

Tertium argument. à poteſtate clavium Eccleſiæ conceſſa.

Quartum, à fine interceſſionis Chriſti.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

certi, quod oratio noſtra, propter hanc interceſſionem benignè admittatur; ſi habemus omnia ſpiritualia beneficia, qualia ſunt converſio, illuminatio, remiſſio peccatorum & iuſtificatio, pax, gaudium in Spiritu S. conſcientiæ tranquillitas, pium beati exceſſus deſiderium & quæcunque alia, quæ futuræ gloriæ & felicitatis aliquod γεῦμα coniunctum habent, ac mentem hominis in ſpem æternæ vitæ, quotidie erigunt, dummodo ipſi nobismet ipſis per ordinis præſcripti contemtum non ſimus impedimento; ſi denique, quod hîc præprimis obſervandum, illa interceſſio, ex qua hæc omnia proveniunt, non tantum ante primam noſtram per ſacrum lavacrum regenerationem præſtatur, ſed poſtea etiam conſtanter durat; ſequitur quod omni tempore pœnitentiæ fructus i. e. pax cum Deo recuperari poſſit. Implicat enim, per Chriſti interceſſionem concedi nobis ſpatium & tempus pœnitendi, pacemque recuperandi, & tamen nullum amplius pœnitentiæ paciq; recuperandæ locum aut tempus relinqui. Antecedens ſecundum omnia membra ex immoto principio luculenter deducit illud conſummatâ eruditione & antiquâ pietate virtuteque præcellentiſſimum Theologorum par, Dn. D. Fevvrborn. diſſert. Theolog. Faſc. IV. disput. 8, & 9, & Dn. D. Schmidt, Præceptor meus, Hospesq; omni obſervantiâ æternùm colendus, disput. de Interceſs. Chriſti tot. imprimis num. 12. & 33.

Quintum arg. ab abſurdo.

LXXII. *Quintò* confirmatur id optimo hoc argumento iam olim ab antiquis Patribus crebrò uſurpato: Si ulla pœnitentia eſt, quæ ſimpliciter venia caret, non eſt ea agenda. fruſtra enim agitur. At abſurdum eſt poſterius. rectè enim de omni peccato pœnitentia agitur. Ergo & prius. Et ſanè fruſtra pœnitentiam illam agi, quæ omni fructu veniæ caret, imò ad eam fruſtra homines invitari & eo pacto ad deſperationem potius adigi, per ſe patet & pulcerrimè S. Cyprianus oſtendit epiſtola LII. ad Anton. ibi circa finem: *O fruſtrandæ fraternitatis irriſio, ô miſerorum lamentantium caduca deceptio, o hæreticæ inſtitutionis inefficax & vana traditio, hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam; dicere fratribus noſtris, plange & lacrumas funde, & diebus ac noctibus ingemiſce, & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare, ſed extra eccleſiam poſt omnia iſta morieris: quæcunq; ad pacem pertinent, facies, ſed nullam pacem, quam quæris, accipies. Quis non ſtatim pereat? quis non ipſa deſperatione deficiat? Quis non animum ſu-*

um à propoſito lamentationis avertat? Operari tu putas ruſticum poſſe, ſi dixeris: Agrum peritia omni ruſticitatis exerce; culturis diligenter inſiſte: ſed nullam meſſem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliveti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes? Vel ſi ei, cui dominium eſt, uſum naviũ ſuadeas, dicas: Materiam de excellentibus ſylvis mercare frater; carinam prævalidis & electis roboribus intexe, clavo, funibus, velis, ut fabricetur atq; armetur navis, operare: ſed cum hæc feceris, fructum de actibus ejus & curſibus non videbis? Præcludere eſt atque abſcindere iter doloris ac pœnitendi viam, ut cum in Scripturis Dominus DEUS *revertentibus ad ſe & pœnitentibus blandiatur; noſtra duritia & crudelitate dum fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipſa tollatur.* Et certè ita, ut dicit, tùm factum eſt. ſic enim lib. ad Novatian. de Novatiano ſcribit: *Multos ex fratribus noſtris miſerrimos falſis ſuis adverſationibus perterritos iterum fecit ethnicos, dicendo, quod pœnitentia lapſorum ſit vana nec poſſit eis proficere ad ſalutem.* Hæc Cyprianus. Auguſtinus licet aliàs ex ſeveriori veteris eccleſiæ diſciplinâ graviter lapſis ſemel tantum pœnitentiam ac pacem indulgendam eſſe putaret, tamen hoc eodem argumento ſe aliquando in benigniorem partem flecti paſſus eſt. Epiſt. LIV; *In tantum,* inquit, *hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam poſt actam pœnitentiam, poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia vel graviora committant. Et quamvis eis in Eccleſia locus humilimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliviſcitur. Ex quorum numero ſi quis nobis dicat: Aut date mihi eundem iterum pœnitendi locum, aut deſperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, & humanis legibus non prohibeor, in ſcortis, omniq; luxuriâ, damnabili quidem apud Dominum, ſed apud homines pleroſq; etiam laudabili. Aut ſi me ab hac nequitia revocatis, dicite, utrum mihi aliquid proſit ad vitam futuram, ſi in iſta vita illecebroſiſſimæ voluptatis blandimenta contempſero, ſi libidinum incitamenta frenavero, ſi ad caſtigandum corpus meum multa mihi etiam licita & conceſſa negavero, ſi me pœnitendo quàm priùs vehementiùs excruciavero; ſi miſerabilius ingemuero, ſi flevero uberiùs, ſi vixero meliùs, ſi pauperes ſuſtentavero largiùs, ſi charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, flagravero ardentius: quis noſtrum ita deſipit, ut huic homini dicat: Nihil tibi iſta proderunt in poſterum: vade ſaltem hujus vitæ ſuavitate perfruere. Avertat Deus tam immanem, ſacrilegamq; dementiam. Quamvis ergo cautè,*

Multi, quod ipſis pœnitẽtia denegaretur ad ethniciſmũ relapſi ſunt.

cautè, ſalubriterq́ provìſum ſit, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ ſemel in Eccleſia concedatur, ne medicina vilis eſſet ægrotis, quæ tantò magis ſalubris eſt, quanto minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat dicere: Quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterum parcis? Hæc etiam Auguſtinus.

Concluditur, Concilia rectè contra Novatianum pronunciaſſe.

LXXIII. His itaque & aliis rationibus diligenter perpenſis, concludimus: Novatianum cum aſſeclis in conciliis Carthagin. & Romano rectè damnatum; decretum verò de recipiendis lapſis orthodoxum & ſanctis Scripturæ oraculis planè conſentaneum eſſe: Atqui ut Vincentii verba commonit. cap. 32, hîc noſtra faciamus, nil quicquam aliud Conciliorum iſtorum decretum voluiſſe, *niſi ut quod antea ſimpliciter credebatur,* (in genere de lapſis in Scripturâ dicebatur) *hoc idem poſtea diligentius crederetur;* (in ſpecie ad ſacrificatos & libellaticos referretur) *quod antea lentius prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantius prædicaretur; quod antea ſecuriùs colebatur, hoc idem poſtea ſolicitius excoleretur.* Crediderunt id hactenus, prædicarunt, & excoluerunt Eccleſiæ noſtræ, cum Aæ Confeſſionis artic. XII magno conſenſu docent, *quod lapſis poſt baptiſmum contingere poſsit remiſsio peccatorum quocunq́ tempore, cum convertuntur. Et quod eccleſia talibus redeuntibus ad pœnitentiam abſolutionem impertiri* DEBEAT. Cùm porrò ibidem *Novatiani* expreſsè rejiciuntur & *damnantur.* Illi doctrinæ & confeſſioni nos etiamnum fidâ manu menteque ſubſcribere, clarè teſtamur, & hîc contra Bellarmini, Gr. de Valentia aliorumque falſam & calumniarum plenam accuſationem, qua noſtram Eccleſiam trucis Novatianiſmi inſimulant, iterum iterumq; repetitum volumus. Quis Novatiani proprius error fuerit, quis controverſiæ ab eo excitatæ ſtatus, ſupra ſect. I, ſatis perſpicuè & copioſè, etiam ex ipſis Pontificiis, oſtendimus: quo obſervato, & clarè ob oculos poſito, eant Bellarmini defenſores & improbè fictam accuſationem ex confeſſionibus noſtris, vel ſaltem conſequentiâ ex iis legitimè deductâ commonſtrent; ſi fecerint, Bellarminum egregium virum dicemus, ſin minus, vitilitigatorem eximium.

Eccleſia noſtra à Pontificiis falsò Novatianiſmi accuſatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

SECTIO IV ET ULTIMA

diſcutit adverſariorum argumenta.

LXXIV. PLeraque Novatianorum argumenta, quibus veritatem impugnarunt, apud S. Pacianum epiſt. III ad Sympronian. extant. Inter illa præcipuum & difficillimum eſt, quod depromſerunt ex Hebr. cap. 6, verſ. 4, Ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας, γευσαμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου, καὶ μετόχους γενηθέντας πνεύματος ἁγίου. καὶ καλὸν γευσαμένους θεοῦ ῥῆμα, δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος. καὶ παραπεσόντας, πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, ἀνασταυροῦντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας. *Fieri non poteſt, ut qui ſemel fuerint illuminati, guſtaverintq; donum cœleſte, & participes facti fuerint Spiritus Sancti, guſtaverintq; bonum Dei verbum ac virtutes futuri ſeculi: ſi prolabantur, denuo renoventur per pœnitentiam, ab integro crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei, & ludibrio exponentes.* Locus oppidò difficilis, unus haut dubiè ex illis, de quibus Petrus dixit; quædam eſſe in epiſtolis Paulinis δυσνόητα, *quæ homines indocti & inſtabiles pervertant, ut & reliquas ſcripturas ſuo ipſorum exitio.* Hinc in eius expoſitione variè laboratum eſt. *Alii* cum ſolvere nodum non ſatis poſſent, ſecare voluerunt, totam epiſtolam rejicientes à canone, ut plerique Latini. Græci, quibus tandem Latini nonnulli, Ambroſius, Auguſtinus, aliique acceſſerunt, epiſtolam rejicere nolentes, nodum expedire diſſimiliter tentarunt. *Quidam* ſolutionem quæſiverunt in vocabulo ἀδύνατον, quod poſitum voluerunt pro χαλεπὸν, difficile eſt, ſicut nonnullis alicubi uſurpari videtur. *Alii* in voce μετανοίας, pœnitentiæ, exitum quærebant; quòd aut ſemel lapſi non eſſent denuò admittendi ad pœnitentiam publicam, aut ea pœnitentia intelligatur, quæ poſt hanc vitam fruſtranea opera agitur, cui non obtingit peccatorum remiſſio. Ita gloſſa interlinearis, citante D. Gerhardo l. c. §. 16. *Alii* dicebant diverſum dignitatis gradum oſtendi inter eum, qui ſe integrum cuſtodivit, & illum, qui peccavit. Glorioſius enim eſſe in peccati deformitatem non cecidiſſe, quàm poſt caſum à peccati deformitate reſurgere: neque fieri poſſe, ut qui vel ſemel in peccatum ciderit, gloriari jam amplius queat, ſe non aliquando in peccatum cecidiſſe.

Hebr. VI, 4.

Loci difficultatem arguit diverſa interpretum ſententiae

Prima.

Secunda.

Tertia.

Sic ex Philaſtrio Sixt. Senenſ. Bibl. S. lib. 7. hæres. 8, dilut. object. §. 2. *Alii* denique Apoſtolum de baptiſmo non iterando loqui dixerunt, ut ſenſus ſit: Impoſſibile eſt ſemel φωτισθέντας h. e. baptizatos, ſi relabantur, iterum renovari ad pœnitentiam, id eſt, denuo baptizari ſeu tingi baptiſmo. Sic propè omnes Patres Græci & Latini, etiam Scholaſticorum princeps Thomas de Aq. Apoſtoli verba adverſus Novatianum ſufficienter ſe vindicaſſe arbitrantur. Verùm enimverò commodiſſima & adverſus Novatiani objectiones ſolidiſſima eſt eorum ſententia, qui Athanaſii veſtigiis inſiſtentes, hunc locum, cum illis Chriſti Matth. 12, 31, Marc. 3, 29, Luc. 12, 10, de blaſphemia ſeu peccato in Spiritum S. eiusdem ſententiæ eſſe, ſtatuunt. Definitur aliàs peccatum illud, quod ſit agnitæ & in conſcientià approbatæ veritatis deſtinato conſilio facta abnegatio, cum voluntarià blaſphemià & pertinaci abnegandi propoſito conjuncta. De tali peccato hoc loco agi, liquido patebit ſingulas ſubjecti deſcriptiones diligenter obſervanti. Loquitur Apoſtolus de iis, (1) qui ſunt illuminati, φωτισθέντες h. e. agnoverunt cœleſtis veritatis lucem ac evidentiam. (2) qui guſtaverunt donum cœleſte; vivere iam in illis cœpit Chriſtus & per fidem ſancita in illorum cordibus fuit ſpes hæreditatis filiorum Dei. (3) Participes facti Spiritus S. Sed (4) rurſus prolabuntur, Chriſtianam fidem agnitamque veritatem iterum abjiciunt. Et (5) crucifigunt denuò ſibimet ipſis Dei filium, eundemque oſtentui habent, hoc eſt, ſua ſponte, neque ex infirmitate humana aut innata puſillanimitate, metu ſcilicet mortis, aliorumve impendentium periculorum, ſed ex mera malitià & perverſitate mentis contra internum Spiritus teſtimonium penitus deficiunt, quin Chriſtum ipſum conviтiis proſcindunt. Habemus adverſus quos & quales Apoſtolus aſperam hanc, quod ſit ἀδύνατον πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, comminationem ſtringat; nempe, adverſus quidẽ illuminatos & donis præclaris affectos; ſed qui perfida apoſtaſià ea viciſſim proiiciunt, & petulanter citra omnem neceſſitatem extrinſecus urgentem pedibus calcant. At tales hautquaquam erant, quos Novatianus impugnabat. Ergo etiam malè in eos hoc dictum detorſit.

quinta,

ſexta eſt commodiſſima, explicans de peccato in Spiritum Sanctum.

Probatur ex ſubiecti deſcriptione.

LXXV. Idem judicium eſt de altero loco, Hebr. x, 26; quo non antiqui duntaxat Novatiani abuſi ſunt ad negandam ſpem veniæ, ſed & novi illi, Sociniani alioquin dicti, ex eodem docent;

Hebr. X, 26, locus itidem difficilis,

Muthwillige

Muthwillige Sünde habe kein Opffer / peccatum petulanter admiſſum non habere ſacrificium. Vide Sommerum in confut. ſenior. & Examen Germ. cit. à. B. Mentzero Exeg. A. C. art. 12, Confut. error Photin. §. 8, ſeqq; . Fatendum ſanè veteres interpretes etiam hunc locum variè torſiſſe. *Multi*, cùm Novatiani argutias diluere non poſſent, iterum totam hanc epiſtolam abjicere, quàm tantæ impietati ſubſcribere maluerunt. Simpliciores verò territi horribili iſthac doctrina, ante exitum è vitâ baptiſari recuſabant, ne fortè baptiſmi gratiam peccando rurſus effunderent. Unde *Clinicorum* ſecta exorta, qui in lectulis demum animam exhalaturi baptizari volebant. De quibus Io. Ger. Voſſius diſput. de bapt. XII, th. 5. pag. 165. Græci verò Theologi, qui epiſtolam ſemper receperunt, ut tam Novatianorum, quàm Clinicorum errori mederentur, non hìc negari peccantibus pœnitentiam & veniam ajebant, ſed alterum baptiſmum. Verùm non eſt, quod de eruenda Apoſtoli ſententiâ nimiùm laboremus. Nihil enim aliud vult, quàm quod ſupra cap. 6, pronunciavit; nullam ſcilicet reliquam eſſe hoſtiam pro ἀποςασίας peccato expiando. Hoc omnes loci circumſtantiæ & verba declarant. (1) Apoſtolus ex profeſſo dehortatur ab ἀποςασίᾳ, ne deſeramus aggregationem eccleſiæ. (2) Si poſt acceptam cognitionem veritatis peccaverimus. (3) *ſi volentes peccaverimus*, non ex infirmitate aut metu perſecutionis; ſed ex deliberato propoſito &c. (4) defectionem ab Evangelio comparat *cum contemtu legis Moſaicæ*. Ergo loquitur de defectione cum contemtu & irriſione Evangelii coniuncta. (5) denique ne ullus reſtaret ſcrupulus, omnem planè dubitationem eximit, dicendo: *Qui Filium Dei conculcavit & ſanguinem fœderis, per quem fuerat ſanctificatus, profanum duxerit, & Spiritum gratiæ contumeliâ affecerit.* Ubi digito monſtrat, quod propriè diſſerat de peccato in Spiritum Sanctum. Parallelismum & ſimilitudinem huius ac ſuperioris loci cap. 6 oſtendit Pareus Comment. in h. l. p. m. 530. ſqq. Porrò cur & quatenus hoc peccatum irremiſſibile vocetur, operæ pretium fuerit pluribus ex D. Æ. Hunnii comment. in hoc & cap. 6 ad Hebr. part. 2, loc. comm. 1 cognoſcere. Breviter; vocatur *irremiſſibile*, ſivè ut Athanaſius loquitur ἀσύγνωςον καὶ ἀναπόδραςον, inveniale & ineluctabile; non quod atrocitate ſua immenſitatem divinæ miſericordiæ ſuperet, neque quod Deus hoc modo peccantibus gratiam ſuam

(Clinici quinam)

rurſus de plenâ apoſtaſiâ intelligitur.

Peccatum in Spiritũ S. quo ſenſu vocetur ἀναπόδραςον.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

abſolutè denegârit, neque quod à Chriſto Filio Dei pro iſthac blaſpemia ſatisfactum non ſit, neque quod ejusmodi veritatis hoſtes ad pœnitentiam non ſeriò invitentur: ſed tantùm, quia omnia converſionis, pœnitentiæ, gratiæ & ſalutis media impiâ & pertinaci malitiâ reiiciunt. Si enim, dum in terris vivunt, & ad agendam pœnitentiam vocantur, verbum divinum audirent, blaſphemias ſuas agnoſcerent, de iis dolerent & in Chriſtum crederent, omninò remiſſionem conſequerentur. Ita venerandus Dn. Præſes, D. Schmidt diſp. de peccat act. §. 39. Ad Hebr. XII, 17, ubi dicitur, *Eſavum non reperiſſe pœnitentiæ locum, tametſi cum lacrumis quæſiverit*, facilè reſpondetur. Eſavus quæſivit pœnitentiam non ſuam de admiſſis peccatis, quorum remiſſionem à Deo per fidem in promiſſum Meſſiam conſequi potuiſſet, ſed Patris Iſaaci, ut retractaret benedictionem Iacobo collatam. Quod ſi vel maximè detur, intelligi hìc pœnitentiam Eſavi; certum tamen eſt, eam non fuiſſe veram & ſalutarem, cum eo ipſo temporis articulo in corde ſuo dixerit: *Appropinquabunt dies luctus patris mei & occidam fratrem meum.* Gen. 27, 41. Fuit pœnitentia (ut D. Gerhard. vocare amat l. c.) pœnæ non culpæ; amiſſi, non admiſſi. Conf. præter comment. in h. l. D. Pol. Lyſeri Expoſit. in cap. 27 Gen. pag. 488, ſqq. Hæc ad objectiones ex epiſtolâ ad Hebr. petitas.

Hebr. XII, 17 vindicatur.

LXXVI. Ad reliqua Scripturæ dicta iam facilis eſt reſponſio. Et (1) quidem ad 1 Ioh. 5, 16, *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget*, dicendum, hìc iterum agi de peccato in Spiritum S. quod κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur ἁμαρτία πρὸς θάνατον, ita ut reliqua peccata, licet aliàs mortalia, præ hoc tamen ſpecialiſſimo dicantur eſſe non ad mortem, quia curari ea poſſunt; cum peccatum in Spiritum S. ob certiſſimam indurationem finalem ſit incurabile. Sic Dn. D. Hunnius in h. l. ubi ſimul proponit aliquam precationis conditionalis formulam, quæ pro iis, de quibus non certò conſtat, an peccato hoc ad mortem laborent, inſtitui poſſit. (2) Ad loc. Matth. 10, *Quisquis me abnegarit coram hominibus*. Item 1 Corinth. 6, *Ne errate; neq; ſcortatores, neq; idololatræ, neq; mœchi regni Dei hæreditatem poßidebunt*, & ſimiles dicitur, ita omninò fore, ſed ſi non deſiſtant & impœnitentes eſſe pergant, non ſi deſiſtant & pœnitentiam agant: Nam & Petrus abnegaverat & David adulterium juxta ac homicidium commiſerat & tamen, uti dictum

Reliqua Scripturæ dicta à Nov. at. detorſa ad verũ ſenſum reducuntur.

(1) 1 Ioh. 5, ver. 16.

(2) Matth. 10, 1 Cor. 6.

ctum; in gratiam reſtituti ſunt, cum pœnitentiam agerent, & vitam emendarent. (3) Objecit Novatianus illud S. Petri ad (3) *Act. 8, 22.*
Simonem magum, Act. 8, 22. *Reſipiſce ab illa malitia tua & roga Deum* εἰ ἄρα, *SI FORTE remittatur tibi cogitatio cordis tui.* Inde, teſte Ambroſio, adverſarius conficere voluit; ipſum Apoſtolum dubitaſſe, an certò venia impetrari poſſit. Quid Ambroſius olim reſponderit, §. 23 ex Chemnitio aliquo modo audivimus; nos porrò ad hanc & ſimiles objectiones ex ſcripturæ dictis, quæ dubitativè de remiſſione loqui videntur, deſumtas reponimus tritam regulam: *Particulæ* ἀπορηματικαὶ (dubitativè loquentes) *in ſuaſionibus & exhortationibus non ſunt dubitantis ſed ſpem facientis animantisq; ad fiduciam conſequendi optata, licet non exigua difficultas ſit conjuncta.* Regulam quàm plurimis exemplis illuſtrat juxtim & ſtatuminat ob rariſſimam eruditionem & virtutem venerandus Theolog. Dn. D. Glaſſius Philol. Sacr. lib. 3, tract. 5, can. 25. Pro eiusdem declaratione libet paucula adducere ex Petr. Ravanelli Bibl. Sacr. part. 2, voce SI, num. 4: *Si fortè (Act. 8, 22) eſt particula re ipſa exoptantis & conantis rem aliquam eximiam & difficilem conſequi, non autem dubitantis de ea conſequenda: quare autem deſiderium & conatus alicujus circa rem aliquam eximiam & difficilem conſequendam, quam tamen ſe conſequuturum eſſe certò confidit, aut confidere debet denotetur per talem locutionem, quæ dubitationem quandam videtur inferre, ratio eſt, quod (ut obſervat Illyricus) ſoleant vehementer deſiderantes dubitare de potiunda re deſiderata, ſicut ille inquit: Teneone te, Antiphila mea?* Hæc ille. Ex Pontificiis idem agnoſcentibus vide Mart. Del Rio vindic. Areop. cap. 6.

Particulæ ἀπορηματικαὶ non ſemper dubitantis ſunt.

LXXVII. (4) ſubinde ex Marc. 2, 7, Luc. 5, 21 objectum fuit, ſoli Deo remittendorum criminum poteſtatem reſervandam eſſe. Reſp. diſtinguendo inter poteſtatem remittendi peccata αὐτοκρατορικὴν ſeu authenticam & διακονικήν. *Illâ* ſolus Deus remittit, non Eccleſia, ejusve miniſter. In illum enim ſolum propriè peccatur, Pſal. 51, 4. Ille eſt judex abſolutus; ſicut ait Cyprianus lib. de lapſ. *Solus Dominus miſereri poteſt, veniam peccatorum, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus ipſe poteſt largiri, qui peccata noſtra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris.* *Iſtâ* remittit miniſter, non quidem ut judex abſolutus, ſed ut delegatus 2. Cor. 5, 20. Hanc cum illa conjungit Ambroſius lib. 3. de Spir. S. cap. 19,

(4) *Marc. 2, 7, Luc. 5, 21.*

Poteſtas remittendi peccata alia eſt authentica, alia miniſterialis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

Utrum, inquiens, peccata donet Spiritus S. hinc dubitari non poteſt, cum ipſe Dominus dixerit: Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt. Ecce, quia per Spiritum S. peccata donantur, Homines autem in remiſſione peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent. Neq; enim in ſuo, ſed in Patris & Filii & Spiritus S. nomine peccata dimittunt. Iſti rogant, divinitas donat; humanum autem obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis. S. Pacianus epiſt. 1 ad Sympr. *Solus hoc, inquies, Deus poterit.* (peccata remittere) *Verum eſt: ſed & quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud, quod Apoſtolis dicit: Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt & in cœlis. Cur hoc, ſi ligare hominibus ac ſolvere non licebat? An tantum hoc ſolis Apoſtolis licet? Ergo & baptiſare ſolis licet, & Spiritum S. dare ſolis, & ſolis gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis, quàm Apoſtolis mandatum eſt. Quod ſi uno in loco & reſolutio vinculorum & Sacramenti poteſtas datur; aut totum ad nos, ex Apoſtolorum forma & poteſtate, deductum eſt; aut nec illud ex decretis relaxatum eſt. Ego, inquit, fundamentum poſui, alius autem ſuperædificat. Hoc ergo ſuperædificamus, quod Apoſtolorum doctrina fundavit.* Confer inſignitè pulcrum Chemnitii diſcurſum, Examin. part. 2, pag. 320 ſeqq.

(5) argumentum. reſolvitur.

LXXIIX. (5) Ad argumentum, quod Chriſtianos omnes cum ſemel ex Deo renati ſunt, ſanctè cumprimis deinceps vivere, & peccata contra conſcientiam ita cavere oporteat, ut pœnitentiâ tali opus non ſit, ita rurſus S. Pacianus egregiè reſpondet ep. 1. *De pœnitentià,* inquit, *Deus præſtet, ut nullis fidelibus neceſſaria ſit, nemo poſt ſacri fontis auxilium, foveam mortis incurrat, nec tarda ſolamina ingerere Sacerdotes, aut docere cogantur, ne peccandi iter aperiant, dum peccanti blandiuntur. Sed nos hanc indulgentiam Dei noſtri, miſeris, non beatis, nec ante peccatum, ſed poſt peccata detegimus, nec ſanis medicinam, ſed malè habentibus nunciamus. Si nihil in baptizatos poſſunt nequitiæ ſpirituales, nihil fraus illa ſerpentis, quæ primùm ſubvertit hominem, quæ poſteris eius tot titulos damnationis impreſſit, ſi receſſit à mundo, ſi regnare iam cœpimus, ſi nullum oculis, nullum manibus, nullum mentibus noſtris crimen obrepit: abiiciatur hoc Dei donum, repellatur auxilium, nulla exomologeſis, nulli gemitus audiantur, contemnat omne remedium ſuperba iuſtitia. Quod ſi hac homini ſuo Deus providit, ſi idem ſtantibus præmia, qui iacentibus remedia largitus eſt, deſinite divinam accuſare pietatem,*

Dei indulgentia non ante peccata ſed poſt peccata detegenda.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

tem, aut tot cœleſtis clementiæ titulos obiectu rigoris eradere, aut gratuita Domini bona inobſecrabili aſperitate prohibere.

LXXIX. (6) Si dixeris, quem Deus ſæpius pœnitere iubet, huic etiam ut ſæpius peccet, permittit, ita respondet Tertullian. lib. de pœnit. cap. 7. *Abſit, ut aliquis ita interpretur, quaſi eo ſibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum; & redundantia clementiæ cœleſtis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt, totiens delinquendo, quotiens ignoſcitur.* Similiter Pacianus epiſt. III. *Quid ais? Ergo qui ſæpius remedium criminis monſtrat, crimen oſtendit, & medicus ille cum curat, aſſidue vulnerari docet. Deus nec peccare vult hominem ſemel, & tamen liberat à peccato. Nec utique cum liberat, peccatum docet, ſicut nec qui ab incendio liberat, incendium monſtrat, nec qui naufragum eripit ſcopulis, in ſaxa compellit. Aliud eſt de periculo liberari; aliud ad periculum cogi. Et fortaſſe paterer hoc credi, ſi pœnitentia deliciæ putarentur, cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui iuges lacrymæ, cui gemitus ſempiterni. Volet ergo ille ſanatus iterum ſe ſecari, rurſus exuri? Volet peccare iterum & iterum pœnitere, cum ſcriptum ſit: Noli adiicere peccatum, ne quid tibi deterius contingat?* Vnde etiam tam cautè & circumſpectè vetus eccleſia hoc in negotio verſata, & tam longas ac ſeveras pœnitentias magnis criminibus impoſuit, ſicut ſupra meminimus. Etiam pridem cum Dn. Chemnitio Exam. part. 2. pag. 368. multi pii & graves viri ſeriò optant, *ex ritibus veteris Eccleſiæ aliquid poßet in uſum reduci ſine ſuperſtitione & falſis opinionibus diſciplinæ & exempli gratiâ*; fortean omnia ſe melius haberent, *nec in extrema hac mundi ſenectá licentia ſcelerum adeò creſceret, nec diſciplina Eccleſiaſtica labefactaretur ab illis, quos cuſtodes ac defenſores illius eſſe par erat.* Dn. D. Gerhard. L. de pœnit. §. 122, pag. 843. Conf. D. Stegmann. Triad. ἐπισαγμ. eius Photinianis. ſuffix. ἐπισαγ. 2, pag. 744 ſqq;.

(6) N.V.C. Deus ſæpe peccata remittit, E ſæpe peccare licet.

Multi Noſtratium, aliquid ex veteris Eccleſ. diſciplinâ in hodiernũ uſum reduci, optant.

LXXX. (7) Plauſibile Novatiani argumentum erat, quo dicebat, virtutes hoc pacto imminutum iri, & martyria non amplius tam frequentia fore. Si enim cæteri, qui adhuc in vinculis & deſtinati martyres eſſent, lapſos ſtatim veniam conſecutos viderent, ipſi quoque contemta abnegationis pœna ſubverterentur. Verùm eleganter respondet S. Cyprianus epiſt. ad Anton. *Non putes*, ait, *hinc aut virtutem fratrum minui, aut martyria deficere, quod lapſis laxata ſit pœnitentia, & quod pœnitentibus ſpes pacis oblata. Manet verè fidentium*

(7) argument. á periculo rariorum mantyriorum petitum refellitur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

tium robur immobile, & apud timentes ac diligentes corde toto Deum ſtabilis & fortis perſeverat integritas. Nam & mœchis à nobis poenitentiæ tempus conceditur & pax datur, non tamen idcirco virginitas in eccleſia deficit, aut continentiæ propoſitum glorioſum per aliena peccata langueſcit. Floret eccleſia tot virginibus ornata, & caſtitas ac pudicitia tenorem gloriæ ſuæ ſervat, néc quia adultero poenitentia & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur. Hæc etiam ad illa Cyprianus.

LXXXI. Qui plura volet, ſive pro verâ ſententiâ defendenda ſive contraria diluenda, adeat graviſſimas veterum diſſertationes; ut Tertulliani lib. de pœnitentiâ adverſus Montanum; contra Novatianum verò B. Cypriani epiſtolam ad Antonian. ac libros de laps. & ad Novatian. Item Paciani librum & epiſt. ad Sympronian. ac de Pœnit & Confeſs. ſeu Paræn. ad Poenitent. B. Ambros. lib. 2 de Pœnit. Chryſoſt. homilias 10. & ſermon. de Pœnit. Ephrem lib. & ſermon. de pœnit. Fulgentii lib. 2 de remiſs. peccat. ad Euthymium, Gregor. Nyſſeni Oration. de pœnit. denique inſignem etiam lib. de pœnit. medicinâ Auguſtini. Hîc eſto finis: nobis defendendæ veritatis ζῆλος κατ᾽ ἐπίγνωσιν; eccleſiæ tranquillitas & concordia, Ieſu Chriſto cum Patre & Spiritu Sancto ſempiterna gloria!

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1720

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 01720 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-391 4° 1720